



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim  
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus  
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati  
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

**Herbipoli, 1702**

Sæculum Decimum Sextum, Continens res in Ecclesiâ memorabiles, quæ  
contigerunt ab anno Christi 1500. ad 1600.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64733)

Decorative border consisting of multiple rows of repeating geometric and floral motifs.

SÆCULUM  
DECIMUM  
SEXTUM,

Continens res in Ecclesiâ  
memorabiles, quæ contigerunt  
ab anno Christi 1500, ad 1600.

DECAS I.

*(Ab anno Christi 1500. ad 1510.)*

*(1501.)*



Inter multas & magnas calamitates quibus Ecclesia jactatur, præcipuè recensentur funesta Principum Christianorum inter se dissidentium bella, quorum noxiâ

collisione contingit, ut furor Ottomannicus in Provincias Christianas irrumpat, & audaciùs, hæreticæ pravitatis virus proserpat pestilentius, & mores tum in populo

A

pulo

pulo tum in Clero fædiùs corrumpantur, ut verbis Sponsæ Cantic. 1. v. 5 supra modum conqueri, & justî mœroris sui causam inconsolabilibus threnis Ecclesia exponere possit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, & ideò nolite me considerare, quòd fusca sim, & aliquâ nigredine notata deforis, quæ intùs semper formosa sum, quia decoloravit me sol, æstus scilicet & ardens libido regnandi, populisq̃ue per orbem velut unius solaris Majestatis supremo jubare dominandi.*

Ejusmodi motuum & turbarum initium hoc sæculo fecerunt Ludovicus XII. Rex Galliæ, & Ferdinandus Rex Hispaniæ, qui consiliis inter se initis de ejiciendo Fridrico Rege Neapolitano sub specie bellum Turcis inferendi, contra eundem nihil tale suspicantem arma subitò converterunt, regnumq̃ue illud occupârunt, & inter se diviserunt, Alexandro VII. factum hoc approbante & diplomate confirmante, quo Ludovicum Francum Neapolitanum & Hierosolymitanum Regem, Ferdinandum autem Hispanum Ducem Apuliæ dixit, variis de hoc Pontificis factò variè sentientibus, & privato cujusq̃ue interprete affectu sensum suum divulgantibus. Apulia igitur & Calabria Hispano, Franco autem

autem Neapolis cum reliquo regno cessit, Fridericus contra re no exutus parens in Galliam, ejus verò filius pariter dictus Fridericus, Calabriae Dux in Hispaniam abducti, utrobique honorificè quidem ac regaliter habiti, quibus tamen regnum & libertas, quam unicè optabant, semper defuit: neque Friderico patri ad damnum compensandum vel inœrorem leniendum sufficere potuit Ducatus Andegavensis à Ludovico Franco cum regio titulo annuâ triginta millium aureorum pensione concessus, neque divisio regni Neapolitani Gallos & Hispanos tam firmiter univit, ut non continuò divisio quoque auimis ad-versa arma colliderent.

Galli, Hispani, & Itali contra Turcas profecti ad Mytilenem Insulam cæduntur culpâ Venetorum, qui inopinatò pacem cum Turcis constituerunt. Et hæc quidem expeditio adversùs Turcas suscipienda prætexebatur, ut causa Fridericum Turcis confœderatum regno suo exturbandi.

Philippus Archi-Dux cum Joannâ uxore à Ferdinando Hispano invitatus, per Galliam transit, ubique magnificè susceptus à Ludovico, ac præsertim Blesis, ubi etiam Claudia Ludovici filia Carolo filio Philippi promissa est cum dote Ducatus Mediolanensis.

Reverendi PP. S. Francisci animarum zelo incensi Evangelii Prædicandi causâ primi in Indiam Orientalem perveniunt.

Cæsar Borgia Dux Valentinus Alexandri Papæ filius magnis ausibus ad Imperium Italiæ adspirat, & captâ Faventiâ Florentinos, ad quas optabat, condiciones ineundas impellit.

Poloni ac Moldavi cum Tartaris Zavlensibus adversus Procopenfes, seu Tauricos Tartaros foedus ineunt, ut sic divisi infirmiores essent, & minùs formidandi.

Joannes Albertus Rex Poloniæ in expeditione contra Fridericum Teutonicorum Equitum Magistrum, negantem sibi juramentum fidelitatis de Prussia apoplexiâ extinguitur, cui succedit frater ejus Alexander Magnus Dux Lithuanix maritus Elenæ filix magni Ducis Moschoviæ, sed schismaticæ, cui proinde regium diadema negatum est.

Joannes Rex Daniæ proficiscitur in Sueciam, pulsus factione Stenonis, qui regni Gubernator erat, eo prætextu, quòd, quæ jurasset, non præstaret.

Sanguinea pluvia & cruces sanguinæ in vestibus passim per Germaniam apparent

\*(1502)\* In regno Neapolitano inter

Hispa

Hispanos & Gallos dissidia oriuntur, quorum initia posuerunt Ludovicus Armeniacus Dux Nemorosius & Gonsalvus magnus Capitaneus propter partitionem terræ inter se rixantes, unde & Reges concitati in arma ruerunt, & Gallis quidem initia belli fuerê felicia, sed exitus funestus, à Gonsalvo egregio Duce Ferdinandi Regis, omnibus Francis expulsis, qui propterea nomen magni Ducis consecutus est ob res pro Rege suo Hispano tam præclare gestas.

Waltherus Livoniæ Magister post aliquas clades Moschis illatas, ab ipsis invasus, eosdem cum paucis militibus tormentorum fulminibus territos ad Pleschoviam vincit, & ad pacem valde sibi proficuanam compellit.

In Diœcesi Spirensi à duobus rusticis exorta est conspiratio agricolarum contra Episcopos & Canonicos, quæ dicta est *Ligarusticorum*, cujus conspirationis præcipuus articulus fuit, ut omne jugum excuterent, & Helvetorum imitatione libertatem sibi vendicarent; sed jussu Maximiliani Imperatoris pœnas dederunt.

✱ (1503.) ✱ Galli ex regno Neapolitano ab Hispanis ejiciuntur virtute atque constantiâ Gonsalvi Ducis, qui Barlettæ obsessus non modò urbem fortiter propugnavit,

gnavit, sed multis cladibus hostem affecit, & Gallos inconsultè in prælia ruentes bis delevit, primò ad Seminariam in Calabria, ubi victus Albinus & captus in arce Angitolâ, deinde graviore prælio ad Carniolam in Apulia, ubi Dux Nemorosius cecidit, & Galli se Caretam receperunt, quam statim Hispani terrâ marique obsedere. Huic urbi modis omnibus subvenire conatus est Ludovicus Rex Galliarum Ducibus Tremolio & Francisco Gonzagâ Mantuano, sed cum Tremolius obiisset, & Franciscus circa Romam diutiùs hæsisset sede tunc vacante Pontificatum Cardinali Ambaciano procuraret, datum est tempus Gonzalvo sui exercitus corroborandi, unde virtute Hispanorum tandem Franciscus exercitus 6. Kal. Januarii prorsus deletus est, & Petrus Medicestum Galorum fautor cum multis nobilibus in ostio Liris fluvii haustus est, & Caretâ deditâ Gonzalvo Kalend: Januarii. Albinus liberatus, Franci turpiùs ejecti sunt regno, quam id gloriosius intraverant. Hæc Prietius.

Alexander Papa VI. moritur ex veneno per errorem propinato, & à filio suo Cæsare Duce Valentino parato. Valentinus enim Cardinalem Ursinum & pecuniosos quosdam

quosdam alios Cardinales è medio subla-  
turus, cum Pontifice invitavit ad cœnam  
in hortis Cardinalis Sancti Chysogoni,  
dato servis medicato vino, quod Car-  
dinalibus offerretur. Verùm per impru-  
dentiam mutata sunt vasa, & medicatum  
vinum biberunt Alexander, & ipse Cæsar  
filius Borgiæ (Alexandri VI.) Dux Valen-  
tinus. Pontifex utpotè senex, & qui me-  
racius hauserat, nullo remedio sanari po-  
tuit, & obiit, omnibus Sacramentis ritè  
munitus: filius autem Borgiæ Cæsar, qui  
dilutius hauserat, & juvenis exenteratæ  
mulæ visceribus inclusus pilos tantùm om-  
nes & cutem perdidit. Mortuo Pontifice  
Valentinus adhuc graviter ægrotans, veri-  
tus tumultum Romanorum Nepetum cum  
suis copiis lecticâ se recepit, & inde in Ca-  
stellanam civitatem, rebus suis improvise  
patris obitu desperatis & everfis, quem de-  
mùm variâ fortunâ exagitatum Gonsalvus  
dolo cepit, & victum in Hispaniam trans-  
misit, ubi detentus in castro corruptis cu-  
stodibus fugit ad Joannem Navarræ Re-  
gem, nec multò post in tumultuariâ mili-  
tum excursione anno 1507. incognitus  
cæsus est & spoliatus, vir improbus usque  
ad parricidium Pontificis ad opprobrium  
Ecclesiæ & fermè generis humani natus.



8 *Ab anno 1500. ad 1600.*

Alexandro VI. successus est Franciscus Piccolominius Senensis, Pii II. sororis filius, dictus & ipse Pius eo nomine tertius, vir bonus, & vitâ diuturniore dignus, nam decimo post die obiit; cui subrogatus est Julianus de Ruvere, Savonensis dictus Julius II. Hic, ut venerabilior appareret, (non terribilior, ut alii volunt) contra morem suorum antecessorum barbam aluit, cui etiam S. Franciscus de Paula Pontificatum prænunciavit.

Alphonsus Albuquerqueus *Magnus* cognominatus, tum ob fortitudinem, tum pietatem, quæ in tanto viro haud dubiè prævaluit, ab Emmanuele Rege Lusitanæ in Indiam mittitur, eamque Lusitanorum potestati asserere incipit.

Vixit hoc tempore Ambrosius Calepinus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, sic dictus à vico Calepio in agro Bergomate, qui obiit anno 1510. & opus omnium manibus terendum reliquit.

#### PICKARDUS HÆRETICUS.

Pickardus Hereticus in Eucharistiæ Sacramentum blasphemus hoc anno comburitur Parisiis, ab eo dicti heretici Pickardi, suntque alii ab iis Adamitis, de quibus superiore Sæculo. Et ab utroq; eo Pickardo alius est prorsus insignis Theologiæ Doctor Parisiensis Franciscus Pickardus, qui obiit anno 1558.

1504.

✱(1504.)✱ Isabella Regina Hispaniæ moritur 26. Novembris relicta Joannâ filiâ uxore Philippi Belgæ Archiducis Austriæ hærede ex asse & Ferdinando marito administratore, donec Carolus Joannæ filius adolevisset; unde Philippum inter & Ferdinandum ortæ dissensiones.

Hispani expulsis Gonsalvi artibus Francis in regno Neapolitano non ex suis stipendiis, sed rusticulorum laboribus vivere incipiunt: quorum exemplum deinde aliis gentibus militaribus imitantibus, milites passim non in hostico tantum, sed etiam inter suos facti sunt publici & tolerati grassatores.

Veneti cum Turcis pacem iniêrunt, quam non refugiebat Bajazethes. Causa urgendæ pacis videtur multis Venetis fuisse, quod ægerrimè ferrent Lusitanorum in Indiam navigationes, unde & Sultanum Ægyptum impulerunt, ut ex Indiis eos expellere conaretur; imò dicuntur etiam egisse apud Turcam, ut materiam Sultano ad navium fabricam concederet, cujus tamen magna pars ab Equitibus Rhodiis abducta fuit, magno commodo Christianitatis.

Sultanum contra Christianos vehementiùs impulerunt Saraceni degentes in

A 5

India

India cum Regibus indigenis Calecutano & Cambajensi inimicis Lusitanorum; ac primam minacibus litteris egit Sultanus apud Pontificem, Ferdinandum & Emmanuelem quibus everisionem S. Sepulchri, & monasterii S. Catharinæ in monte Sinai intentabat. Verum eas minas risit Lusitanus, interminatus vicissim dissipare ossa Pseudo-Prophetæ Mahometis Mechæ. Has autem legationes obiit Minorita nomine Maurus, litterarum utrimque bajulus.

Eduardus Paciecus ab Alphonso Albuquerque relictus in India Regem Calecutanum, qui Regem Cochini cum 70. armatorum millibus aggressus erat cum centum Lusitanis ita retudit, ut amissis suorum 20. millibus ignominiosè cedere coactus fuerit.

✽(1505.)✽ Julius II. constitutionem hoc anno edit, ut, si labes Simoniaca vel Pontifici, vel alicui Cardinali adhæserit, electio ejusmodi irrita esset.

In India primus Lusitanici nominis Pro-Rex constituitur Franciscus Almeida, cui 22. navium classis data est, ut in orâ Africæ & Indiæ arces excitaret, quod & ipse fortiter præstitit, pluribus Regibus, qui resistere audebant, domitis, & ad obtemperandum compulsis.

Regnum

Regnum Sophalæ auro dives, & à quibusdam creditum Ophir, de quo sacra Scripturæ, detectum est, atque arcibus firmatum ex consensu Monomotapæ Regis, quem octuagenarium & cæcum Lusitani ob proditionem postea trucidârunt, filio ejus Solymanno suffecto.

✱(1506.)✱ Julius II. Pontifex collecto exercitu Bononiam & Perusium Ecclesiæ restituit, ex animatis metu Ballione & Bentivolio urbium earum Dominis, plus nimirum præsentis suæ famâ, quam viribus pollens.

Philippus Archidux primus Rex Hispaniarum ex Augustissimâ Domo Austriacâ moritur Brugis in Belgio 7. Kal. Octobr. potatus, ut creditum fuit, veneno, anno ætatis suæ duodetrigesimo, quæ mors inexpectata spes magnas in ejus virtute & egregiâ indole collocatas demessuit.

Obiit etiam Alexander Rex Poloniæ, eidemque successit Sigismundus frater: Et Lithuani Tartaros in vafores magnâ clade repellunt.

Christophorus Columbus primus novi Orbis inventor finem facit vivendi Hispani, post quater repetitas navigationes, terrâ marique multas expertus tempestates, sed ab hominibus, quam à ventis tetriores,

malevolorum namque calumniis vinctus in Hispaniam missus, mox tamen honori suo restitutus post multos & utiles labores tandem in lecto animam efflavit.

Ferdinandus navigat in Italiam, specie ut regnum inviseret, revera autem, ut inde retraheret Gonsalvum magnum Capitaneum, de quo suspicio iuvaluerat, tametsi vana, quod regnum sibi vindicare vellet. Postquam hybernasset Neapoli Ferdinandus, mortuo Philippo ad regni Castellani administrationem evocatus, discessit; uxor enim Philippi Joanna par non erat regno gubernando, utpotè vix mentis compos, quæ maritum post aliquot annos resurrecturum credebatur, amore in insaniam converso, quam monachus quidam haud sapientior ineptè fovisse credebatur.

Fabrica basilicæ S. Petri in Vaticano inchoatur, ideam tantæ molis designante Bramante Architecto, quæ à Paulo V. demùm perfecta, ab Urbano VIII. exornata, hodie mundi miraculum prostat.

✱(1507.)✱ Obiit hoc anno S. Franciscus de Paula, anno ætatis 91, Ordinis inchoati 72. | Cujus corpus incorruptum post 55. annos ab hæreticis inventum est, & Turonibus anno 1362. lignis ex Crucifixi

fixi imagine conscissis combustum est, communi viro sancto, & ipsi Christo injuriâ.

Ludovicus Rex Francorum Genuenses sibi rebelles subigit, & urbem cum exercitu ingressus, ac dissipatis seditiosis, qui nobilibus reclamantibus raptum quendam ex officinâ Fullonem Ducem sibi elegerant, grandem pecuniam exegit, arcemque in portu ædificavit, seditionis auctores cum suo fullone suspendio multavit, & omnium incolumitati paucorum supplicio consuluit. Posthæc redeuntem ex Hispania Ferdinandum Regem Savonæ honorificè excepit, sed & Gonsalvum Magnum Capitaneum, quem secum Ferdinandus Hispaniæ Rex adduxerat, mensæ suæ cum Ferdinando & Reginâ accumbere voluit, & collo ejus detractum sibi aureum torquem inseruit. Verisimile videtur multis hos Reges in congressu suo tunc egisse de Concilio, ut Ecclesia in capite suo ac membris emendaretur, itemque de Maximiliano Francis reconciliando.

\*(1508.)\* Julius Pontifex, Maximilianus Imperator, & Ludovicus Rex Galliæ Cameraci foedus ineunt adversus Venetos pro urbibus, quæ ad singulos pertinerent, recuperandis. Obvelarunt au-

tem hanc societatem sanctissimo titulo, quasi de bello sacro cogitarent: prius tamen Venetis retundendis, per quos stabat, ne Saraceni appeterentur.

Campson Sultanus Ægypti à Regibus Calecuti & Cambajæ sollicitatus, classem per mare rubrum in Indiam mittit, ut Lusitanos jam ibi potentes expellat, & primo quidem prælio Laurentius Almeida Pro-Regis Indiæ filius cum octo navibus imparatus, victus & occisus est.

Hoc anno in orâ Neustriæ inventa est navicula ex viminibus & arborum cortice contexta, in qua septem homines staturâ mediocri, colore fusco, vestiti pellibus piscium variegatis, quibus cibus erat caro cruda, & potus erat sanguis, incognitâ omnibus loquentes linguâ: sed illorum sex in mari interiêre, septimus cum ipsa navicula oblatus Ludovico; unde porrò venerint, nunquam adhuc resciri potuit, imò nec conjici.

\*(1509.)\* Franciscus Almeida Indiæ Pro-Rex ulturus necem filii, cum classe undeviginti navium Sultanum Ægypti aggredditur, & ingenti editâ strage Mameluccorum Dabulen urbem capit, & Mirhocemum cum 200 navibus, partim captis, partim exustis in fugam conjicit, atq; Cochi-

Cochinum triumphans ingreditur, deinde cum Albuquerque de præfecturâ Indiæ contendit, quem & in vincula conjicit: mox tamen hic solutus est, à Cutignio Mareschallo ex Lusitaniâ adveniente, qui & illum Pro-Regem dixit, & Almeidam in parriam remisit. Eò dum navigat, flexo Bonæ Spei promontorio, exscensione factâ pugnans in Barbaros nudos, & tantùm sudibus instructos interiit anno 1519. morte præclaris ejus facinoribus non satis respondente

Ingens terræ motus per 40. dies concutit Constantinopolim, dirutis plurimis Turcarum ædibus & multis millibus eorum obrutis, ipso Bajazethe Hadrianopolim fugiente ubi vix tutus in campo perstitit: mox tamen 80. fabrorum millia convocati ruinas urbis reparârunt, & magnum splendorem ac dignitatem urbi reparatæ addiderunt

Hoc anno Tekel, Dux Ismaëlis Sophi, famosus ille Mahometanæ legis interpretes prodiit, cùm in speluncâ Phrygiæ annis 7. latuisset, ab ipso Bajazethe pecuniâ fatus, & primò quidem captâ Atalia, & brevi collectis decem armatorum millibus sectæ suæ, Natoliam pænè totam diripuit, & flammis ferroque vastavit. Cùm  
ad hunc autem

autem



autem tot rebus gestis ad Ismaëlem rediret, Ismaël plerosq; ejus Duces suis copiis concidendos objecit, & Tekelem ipsum vivum exuri jussit, Bajazethes quoque in ejus sectæ fautores inquiri jussit, eorumque ducentas domos Constantinopoli evertit.

Pontifex, Ludovicus Rex Galliæ, & Maximilianus, ut Cameraci convenerant, expeditionem adversus Venetos educunt. Itaque tum anathemate excommunicationis a Pontifice fulminati, atque ab adversariis tam potentibus penitus pressi, & terrestribus omnibus ditionibus spoliati sunt, ita ut maritimis jam contenti tributum offerrent Maximiliano, si eos ab armis Francicis tutos præstaret & pacem redderet. Et ad id tunc quidem videbatur de Republica, donec regresso in Galliam Ludovico, qui ad Abduam fluvium Venetos cum 40. millibus armatorum aggressus ingenti eos strage affecerat, Patavio, quod Maximilianus occupaverat, recuperato animos resumpserunt, & spem ceperunt fortunæ melioris. In hoc autem maximè laudandi, quòd etiam in tantis angustiis constituti auxilium Turcarum recusaverint.

Poloni ad Borysthenem octoginta millia  
Moscho-

Moschorum, quæ Basilius eorum Dux ad Lithuaniam occupandam destinârat, inter- necione delent.

Ximenius Archi-Episcopus Toletanus, dictus Cardinalis Hispanus, Petro Navar- ro ex vili nauclero magno Duce facto, feliciter in Africa bellum gerit, Oranum Bugiam, Algerium, aliasque urbes occu- pat, Regibus aliis certatim tributum ei of- ferentibus; ita ut universa pænè Barbaria sub sanctissimi hujus Episcopi precibus & armis contremisceret.

Henricus VII. Rex Angliæ moritur, cui filius Henricus VIII. succedit & coronatur unâ cum Catharina Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum filia, quæ Arthuri mortui fratris uxor erat, dispensatione obtentâ à Romano Pontifice Julio, quod Arthurus ob juniorem ætatem & infirmam valetu- dinem eâ non cognitâ decessisset: quibus nuptiis Angliæ & Ecclesiæ nihil accidit in- fortunatius.

Novioduni hoc anno fatalis altera fax Occidentis Calvinus ex parentibus Catho- licis nascitur.

✱(1510.)✱ Cameracense fædus dis- solvitur, Pontificem vim externorum Principum in Italia metuente, & ad Ve- netos declinante, quos etiam Ecclesiæ re-

con-

conciliat, & Maximilianum Imperatorem à confœderatione cum Ludovico Rege Galliarum disjungere nititur, Helvetios insuper ac Hispanos contra Gallum sollicitat: & ex Cardinalibus Gallis à Rege Ludovico Româ revocatis Guilhelmum de Claromonte venantem in die festo S. Petri, retractum quasi fugitivum Castro S. Angeli includit, meliorem certè venatorum, quàm Cardinalem. Interim tamen Veneti à Maximiliano Imperatore & Ludovico Rege magnis cladibus afficiuntur.

Ferdinandus Hispaniarum Rex obtinet à Julio II. diploma Confirmationis Regni Neapolitani in forma tam ampla, ut ab ipso Ferdinando dictatū esse videretur. Pontifex autem terrâ mariq; tentat Genuam, & in agrum Mediolanensem 12. millia Helvetiorum, similiter & copias suas in agrū Ferrariensem inmittit. Unde Ludovicus Gallix Rex odium hoc Pontificis odio parum Christianè repulsurus agere cœpit de Concilio congregando, & mox Turonibus convenit synodus ex omnibus præsulibus & nominatissimis Gallix Theologis, ubi multa proposita quæ ad schisma vergerent: Prius tamen visum est mittere nomine Ecclesiæ Gallicanæ legationem ad Julium quæ eum admoneret de pace cum  
Ludo.

Ludovico ineunda, alioquin concilium liberum huic significaret, quæ quidem Cardinales Pontifici irati plurimum promoverunt, à quibus tamen omnibus agentibus tantum ex pravis animi motibus recti nihil expectari potuit. Similiter de Concilio contra Pontificem convocando egit Maximilianus in Germania cui decem gravamina per Pontificem curanda oblata sunt ab iis, qui animo erant à Pontifice & fortè etiam ab Ecclesia alieno. Ferdinandus autem Rex Hispaniarum his tumultibus noluit implicari, & negavit tempus esse idoneum curandæ Ecclesiæ Christianis Principibus adeo à se discordibus, & prudentius in bellum Africanum incubuit.

Julius II. invitat Polonos ad bellum Turcicum, renuerunt autem illi in suis Comitibus, fidem etiam infidelibus servandam esse asserentes.

Neapolitani regno, ejiciunt Judæos omnes & Mauros, ut sic Hispanicâ Inquisitione quam Ferdinandus urgebat, facilius detrectarent. Die 6. Februarii Judæus quidam in Marchia Brandenburgica ob Eucharistiam furto sublatam, & ferreo stylo compunctam (quæ copiosum sanguinem emisit, & in aquam & ignem consumenda, frustra injecta fuerat) forcipibus


pibus

pibus discerpitur & in cineres redigitur, cæteri que illius tractus Judæi confessi se septem Christianorum infantes, aculeis vel acubus peremisse, flammis traduntur.

Goa Metropolis Indiæ ab Alphonso Albuquerque capitur, & fit Lusitanicæ ditionis atque caput constituitur Ecclesiæ Indiæ.

Eodem tempore multæ passim conversiones fiunt in populis Occidentalibus per Religiosos Ordinis S. Dominici.

Sævierunt varii morbi extraordinarii planè, in Gallia quidem Epiphora gravis & inusitata dicta *Cucullata* vulgò *Coqueluche* quia eâ laborantes cucullis aut linteis caput involvebant. In Scotia quoque sævit morbus qui maximè nobiles delicatos sustulit, vulgò dictus ideo *Straup Galland*, quia talis morbus superborum fastum valde retundebat.



## DECAS II.

✽ (*Ab anno Christi 1510. ad 1520.*) ✽

1511. **P**ontifex, Hispani, Veneti & Helvetii vario Marte pugnant cum Maximiliano Imperat: & Ludovico Rege Franciæ & ideo agunt hi magno conatu

tu de concilio contra Pontificem convo-  
cando, quod anno præcedenti in Gallia  
celebratum nunc Pisis haberetur, & postea  
translatum est Mediolanū, ac tandem Lug-  
dunum, sed effectu caruit morte Julii in-  
terveniente, quod & ipse Julius super-  
stes adhuc in Concilio Lateranensi repro-  
bavit.

Bajazethes Selimum filium qui duxerat  
Tartarorum Procopensium Regis filiam  
& Imperium violentè invadebat, prælio  
vincit, & fugat ultra Pontum Euxinum.

In Comitibus Trevis habitis Imperium  
in decem circulos distribuitur nempe  
Austriacum, Bavaricum, Franconicum,  
Rhenanum superiorem & Rhenanum infe-  
riorem, Electoralem Palatinatūs, Burgun-  
dicum, Westphalicum, superiorem Saxo-  
nicum & Saxonicum inferiorem.

Oritur hoc tempore in Africa Imperium  
Cherifforum auctore quodam Zidamete,  
quem alii Mahometem *Ben humet* vocant,  
qui se ex Pseudo-Propheta Arabe geni-  
tum jactabat. Hic Monachus Mahome-  
tanus Astrologus & magus, cum duobus  
filiis suis ejusdem secum indolis, post  
obitas varias regiones copias scripsit, qua-  
si bellum Lusitanis illaturus, sed populis  
huic certatim sese deditibus occupavit  
hanc

hanc regionem, neque se Regem sed *Cheriffum* id est sacratum hominem appellavit, ut tantò majorem venerationem obtineret, qua regna Marochi, Fessæ aliaque minora sibi adjunxit, factus deinceps non tantum Christianis, sed & suis Mahometanis metuendus.

In Longobardia multa prodigia contingere, Igneus pavo per cœlum visus discurrere, horrendæ tenebræ cum tonitribus metuendis, saxa de cœlo lapsa centum pondo, cum enormi grandine, quæ vulgus terruere, & viros eruditos exercuere.

Alphonfus Albuquerque in aurea Chersoneso Indiæ Malaccam cæpit, terrâ marique victoriosus, dumque Goam spoliis ditissimus redit, naufragium passus omnia perdit, & ipse vix incolumis evadit.

✽(1512.)✽ Selimus fugatus anno superiore à Bajazethe parente vires resumit, & favore Janitzerorum Patrem Bajazethem Imperio & postea per Judæum Medicum vitâ privat.

Galli ad Ravennam exercitum Pontificis & Hispaniæ Regis solvendæ obsidioni missum, Duce Gastone Fuxio nonnisi 22. annorum juvene & prius Imperatore belli quam milite, memorabili cæde profligant,  
unde

unde Ravenna victoribus Gallis se dedidit, mox tamen per muros neglectos & ruinas nondum reparatas irrupentibus Germanis & Vasconibus in prædam civitas illa cessit. Gasto Fuxius autem dum victor Hispanorum agmen insequeretur ab illis circumcinctus equo dejectus & confossus interiit, cujus cadaver Mediolanum translatum & in æde maxima sepultum postea à Cardinali Sedunensi, cum Mediolanum occupasset, in Pontificis gratiam iterum exturbatum est.

Ferdinandus Rex Hispaniæ regnum Navarræ occupat.

### CONCILIUM LATERANENSE.

Julius II. Concilium Lateranense, superiore anno indictum contra Conciliabulum Pisanum, celebrare incipit quinto Nonas Maij, cui ipse interfuit cum Cardinalibus 15. Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Archi-Episcopis & Episcopis 77 multis Abbatibus ac Principum Legatis. Hoc Concilium post quinquennium absolutum est sub Leone X. & approbatum, Pisanum autem in eo reprobatum, actumq; in eo variè de reformandis moribus, & Turcis reprimendis.

Interea Maximiliano ad partes Pontificias & Confœderatos adversus Gallos accedente

dente



dente, Helvetiis autem Mediolanensem Ducatum invadentibus, ac Rege Anglorum suafu Pontificis bellum in Aquitaniam movente, Franci Italiã excedere coacti sunt, & Maximilianus Sfortia hætenus exul per Germaniam in paternam ditionem restitutus est, Veneti quoque & Pontifex aliiq; Principes suas Urbes recipiunt, & Florentini Medicæ familiæ regendos se iterum submitunt.

In India absente Albuquerque & bello Malaccensi impedito Idalcanes Goam obfidet, & in ultimas redigit angustias, Joannes autem Machiades qui tum apud Regem Indum agebat, quasi Mahumetanus, videns multos Lusitanos fugere & Christum ejurare, statuit urbem ingredi & reliquos in officio continere. Prius tamen duos liberos suos infantes, ingenti scilicet facinore suffocat, quos religiosã crudelitate prius baptizarat, ut cœlo infereret. Sic igitur Goam ingressus eam servavit, donec rediret Albuquerque, qui desertores promissã vitã recepit quidem, sed ita mulctavit, ut Christum abs se haud impunè ejuratum esse sentirent.

Hoc anno detecta est Florida seu Florida, à Joanne Pontio Legionensi, sic dicta, quod in Dominica Palmarum, quam vulgò

*Pascha*

*Pascha Floridum* vocant, inventa sit. Scribunt aliqui, jam anno 1496. à Sebastiano Veneto Gaboto hanc Insulam lustratam fuisse sub auspiciis Henrici VII. Angliæ Regis, sed certum est, cultam & Christo addictam non fuisse ante annum 1534. ac demùm 1562. quando priùs facta est belli theatrum Francis & Hispanis, quorum ardorem bellicum totum mare interjectum non restinxit.

✱(1513)✱ Julius II. bellicosus Pontifex, cùm civitates Ecclesiæ recuperâisset, & Ludovico Galliæ Regi (quem etiam Regis Christianissimi titulo spoliare, & in Anglum transferre cogitabat) hostem se, atque ut Galli scribunt, plus æquo ferocem præbuisset, lentâ tabe absumitur, cui successor communibus suffragiis datus est Medicæus, annos natus 37. dictus Leo X. ab aliis IX. Deductus est per urbem neo-electus eodem in equo, in quo equitans captus est in prælio Ravennate, quem postea sollicitè ab hoste redemerat.

Versa nunc est ex Julii morte in Italia facies bellorum; Ludovicus enim XII. initâ cum Venetis pace Mediolanum & Genuam recuperavit, & omnes urbes, quas amiserat, præter Comum & Novariam. Ad hanc obsessam ab Helvetis erumpentibus

B

pentibus

pentibus magnam cladem accepit, quæ iterum Francorum victorias corruptit, omnibus ab iis passim deficientibus. Neque Veneti feliciores extiterunt; multas enim urbes Hispanus illis eripuit, ut ægrè Tarvisium & Patavium servarent, & Helveti victores meruere tunc à Leone X. pronunciarī *Ecclesiæ defensores*. Laudem quoque insignem tunc retulit Rudolphus Anhaltinus, Maximiliani Cæsaris exercitūs Dux, qui acriter pugnā Venetos nunc Regi Galliarum confederatos debellavit & vicit.

Jacobus IV. Scotiæ Rex Angliam invadit, & in prælio ad montem Flaudoniam cum occiditur, multis utrimque desideratis, cum hoc discrimine, ut ex Scotis multi Proceres & Nobiles, ex Anglis autem gregarii tantum milites occubuerint.

Turcæ Illyricum invadentes ab Uladislao II. Hungariæ Rege reprimuntur.

Sub hujus anni finem, dum in Laterano octava Sessio haberetur, adfuere Ludovici Regis Franciæ Legati, qui nomine Regis conceptis verbis Synodum Pisanam ejurarunt, ad quod præstandum præcipuè sollicitatus videtur Ludovicus XII. precibus Annæ pientissimæ conjugis, & cladibus variis ad id impulsus. Tunc quoque damnati sunt Philosophi de animabus

mabus malè sentientes, inter quos Petrus Pomponatius Mantuanus, Lætus, Phœdrius, Politianus, Calderinus, aliique ejusdem farinae, litteris profanis, quàm sacris instructiores.

Leo X. Pontifex Romæ constituit Seminarium ad Græcam juventutem in litteris & moribus erudiendam: & litteras sollicitè promovet.

✽(1514.)✽ Leo Papa ad interpositionem Archi-Episcopi Strigoniensis indulgentias contra Turcam Cruce-signatis concedit. Sed hi arma in Hungariæ Clerum & Nobilitatem convertunt, interfecit multis hominum millibus, & nobilium centenariis, donec eos Joannes Waivoda Transylvanus multis captis cum Duce eorum Szykelio dissipavit, & auctores gravissimis suppliciis affecit.

Mahamethes Scirifus cognominatus, quod idem est ac *Magnus Sacerdos*, ex Mahometano eremita concitatâ rebellione, militiæ Ducem se facit, & in Lybiæ ac Ægypti interiora penetrans, regnis Fessæ ac Marochi occupatis, tribus annis multa adhuc alia regna acquirit, quæ 43. annis tenuit, quousque anno 1557. a stipatoribus corporis in venatione senex admodum interfectus est.

Sigismundus Rex Poloniæ Basilium Moscoviæ Ducem cum insigni eorum clade è Lithuania expellit, Polonis tantum 4000 amissis, hostium autem equitum triginta millibus occisis.

Selimus Turcarum Imperator cum exercitu quadringentorum millium militum Ismaëlem Sophi, Persarum Regem oppugnat, & 26. Augusti integro die configit, cadentibus centum millibus fortissimorum Turcarum; quoniam verò Ismaël sub vesperum accepto vulnere recessit, stetit nihilominus victoria penes Selimum, qui Taurisio Ismaëlis Regiâ potitus, omnes opifices Constantinopolim transtulit. Memorabilis in hac pugna fuit Hali Sultani Persici virtus, qui in fugâ Ismaëlis, dum eum Turcæ sequerentur ardentius, finxit se Ismaëlem esse, & deductus ad Selimum fraudem aperuit, ac cædi iussus, etiam ab hostibus laudem promeruit.

Pax inter Reges Francorum & Angliæ reconciliatur & firmatur connubio inter Mariam Angli sororem & Francum, jam enim è vivis Anna Britanna ejus conjunx excesserat.

Concilium Lateranense urgetur, & in eo munera Emmanuelis Lusitani, pretiosæ vestes, accipiuntur: miserat etiam Rex Emmanuel

manuel Rhinocerotem, at ille ad Genuæ scopulos fecit naufragium. Pia multa decreta necessariæ reformationis edita sunt.

✱(1515.)✱ Ludovicus XII. Rex Galliæ, dictus *Populi Pater*, ætatis anno 54. regni 17. sine prole masculâ relicta moritur, cui proximè cognatus hæreditario jure successit Franciscus Valesius hujus nominis I. adolescens 20 annorum, qui mox rebus utcunq̄ue cum Anglo compositis, licet oppositos sibi videret Hispanos, Maximilianum, Helvetios, & ipsum Pontificem, inò & naturam ipsam Alpium transitu superandam, arte tamen & multo labore exercitum & tormenta bellica, & omnia impedimenta in plana Salutiarum loca inexpectatus eduxit, iter ostendente Trivultio. Moxq̄ue Prospero Columnâ Pontificiarum copiarum Duce oppresso & capto, priusquam se Helvetiis conjungere posset, horum triginta quinque millia Mediolano exeuntes, & à Sedunensi Cardinale veluti tubâ belli animatos ad Marignanum non procul Mediolano memorabili prælio, quod toto biduo duravit, scilicet 13. & 14. Septembris, cecidit ac fugavit, multis utrimq̄ue cadentibus, cum furore magis & Andabadarum more, quàm ex arte & militari disciplinâ

in multam noctem primo die pugnaretur, donec fessus quasi ex condicto exercitus uterque non nihil conquievit, & permixtus Helvetio Francus somnum cœpit: Rex ipse armatus ne detractâ quidem galeâ in tormento bellico & inter complexus militis cataphraçi dormivit, inter horas viginti septem cibo non gustato. Die verò sequenti, albescente cœlo, magno ardore certatum est, donec Helvetii, adveniente Liviano Veneti exercitûs Duce, rati omnes Francisci copias auxiliares advenisse, servatis ordinibus & tormentis, Mediolanum se receperunt, desideratis suorum quindecim millibus, cum Francorum tria tantùm millia cecidissent; quorum tamen paucitatem cæforum nobilium magna copia compensavit. Sic Helveti viribus & milite diminuti, paulò post Mediolano relicto in patriam remigravêre, imposito tamen prius in arce præsidio, quâ se Dux Maximilianus inclusit, qui elapso vix mense & se, & arces Mediolanensem & Cremonensem Francisco dedidit, atque in Franciam deductus est, victurus ibi cum 30 aureorum millibus annuæ pensionis à Rege numerandæ. Franciscus posthæc Mediolanum triumphans ingressus est, & in memoriam victoriæ ædem exstruxit B.

Ma-

Mariæ Virginis de Victoriâ, quam Patri-  
bus Cœlestinis commisit.

Tum quoque à Pontifice Leone X. cum  
quo Bononiæ convenit Franciscus, ut Ec-  
clesiæ primogenitus acceptus est, & inita  
pactio de sanctione Pragmaticâ in Gallia  
abolendâ, ac vicissim de nominatione  
ad beneficia, quæ antea erat penes Cano-  
nicos ad Regem derivanda, itemque de  
Annatis, cæterisque Capitulis in illum li-  
brum relatis, quem *Concordatum* appellant,  
à Concilio Lateranensi approbatum.

Maximilianus Imperator, Uladislaus  
Hungariæ, & Sigismundus Poloniæ Reges  
Viennam conveniunt, & fœdus inter se  
ineunt, aguntque de successione Austriacæ  
Familiæ in ea regna, & Bohemicum, si  
Uladislai mascula progenies extingueretur,  
& vicissim de Borussia Polono relin-  
quenda. Desponsata tunc est Ludovico  
Ladislai filio Maria soror Caroli, postea Im-  
peratoris, & Anna soror Ludovici Ferdi-  
nando fratri Mariæ & Caroli.

Petrus Maronitarum Patriarcha tres Le-  
gatos ad Concilium Lateranense mittit.  
Ad quod similiter advenit Matthæus Le-  
gatus Davidis Regis Abissinorum, qui prius  
ad Emmanuelem Lusitaniæ Regem sacro-  
sanctæ Crucis fragmentum & alia dona



attulit, magno ibi honore exceptus, eum prius à nautis in longa navigatione tanquam explorator suspectus ignominiosè tractatus esset, qui propterea à Lusitano Rege, ubi exscenderunt, in vincula coniecti sunt.

\*(1516.)\* Ferdinandus Arragonius Hispaniæ Rex moritur anno ætatis 63. ex aquâ intercute. Successit ei in tot ejus ac Isabellæ olim ejusdem conjugis regna Carolus eorum nepos ex Joannâ filiâ & Philippo Belga, tunc annorum quindecim.

Moritur item Ladislaus Hungariæ Rex Budæ, cui Ludovicus ejus filius, puer annorum 12. successit, dicitur autem Ladislaus fuisse pacis amantissimus, & adeo taciturnus, ut rarò plus responderet, quàm Latinè *Bene*, aut Bohemicè *Dobre*: ideo à suis *Idolum mutum* appellatus. Fuit filius ejus successor indolis optimæ, sed pessimâ institutione corruptus à Georgio Marchione Brandenburgensi.

Francisco I. expeditionem ad invadendum regnum Neapolitanum parante, Maximilianus Imperator instinctu Leonis X. Ducatum Mediolanensem ferè totum occupavit, & tantùm non Francos Mediolano expulit. Et tametsi obsidionem ejus re infectâ desereret, Franciscum tamen  
ad

ad sua defendenda occupatum ab invadendo regno Neapolitano retinuit. Helvetii inter hæc foedus cum Rege Francorum renovant, magnâ pecuniæ summâ in annos singulos à Gallis pensandâ.

Algeri incolæ Hispano vestigales rebellant, duce Barbarossâ, qui se brevi Regem ibidem per tyrannidem dixit.

Selimus Turcarum Imperator bellum in Ismaëlem Persarum Regem continuaturus, ingenti educto exercitu divertit in Syriam adversus Campsonem Sultanum Ægypti & Syriæ arma moventem, ut Persas sublevaret, initoque acerrimo prælio non longè à Damasco victus Campson perfidiâ Cajerbei Præfecti Alepi occubuit, suffensusque à Mameluccis in ejus locum Tomombejus vir strenuus, æquè à Selimo vincitur, atque ita Selimus Syriam occupat, & Hierosolymis ac Bethlehemi veterum Prophetarum sepulchra veneratur, & largas eleemosynas inter Christianos distribuit, ac demùm exercitum in Ægyptum ducit.

\*(1517.)\* Selimus per Sinanem Basam Ægyptum aggreditur, & superatis Arabiæ siticulosis locis, quibus Ægyptus munita putabatur, insuetis pluviis tunc de cælo cadentibus, & Turcis faventibus ad

B 5

Mem-

phim & Cayrum vincit Tomombejum, qui tamen reparatis mox viribus secundâ vice adversus Selimum educit exercitum, sed denuò victus & fugatus, inter arundines latens deprehenditur, & Cayrum reductus, ibique tortus, ut Campsonis thesauros indicaret, demùm vili jumento tractus per urbem, strangulatus, & unco ferreo publicè suspensus est: in quo nomen & Imperium Mammelucorum defecit, quod supra 260. annos duraverat. Erant autem Mammeluci plerique educi ex Coreassis, sic dicti, quasi *Stipendiarii*, voce Syriacâ, omnes fortes ac strenui Equites duodeviginti mille ex suo ordine Principem eligentes, sed omnes subditarum sibi gentium tyranni, sacrilegi, apostatæ, qui tandem per sceleratiores Turcas exterminari meruerunt.

Pax Novioduni firmatur inter Franciscum Regem, & Carolum Hispanum, conubio promisso filix Regis cum Carolo, quod postea rejectum est.

Romæ Concilio Lateranensi V. Sessione XII. finis imponitur, postquam annis durâset fere quinque, quod potentissimâ oratione clausit Joannes Franciscus Pici Comitis Mirandulani, quâ corruptissimum Ecclesiæ hujus temporis statum repræsentavit,

tavit, cui emendando postea Deus remedium potentiùs adhibuit, patefactâ hæresibus portâ.

Tentata est hoc anno vita Leonis Pontificis per Alphonsum Petrucium Cardinalem Senensem, adhibito in societatem sceleris Bendinello Cardinali Saulio, instrumenta mortis inferendæ destinata erant venenum à medicis præparatum, & sica ab ipso Petrucio libranda, sed patefactâ conjuratione Petrucius in carcere strangulatus, & Saulius Cardinalis ad perpetuum carcerem damnatus est, unde tamen brevè liber exivit.

Circa hunc annum Provincia illa, quæ nunc nova Hispania appellatur, auri & argenti & margaritarum dives, Hispanorum Imperio subjugari cœpit, à Ferdinando Cortesio, qui eam expugnavit, captâ præcipuâ ejus urbe Mexico, urbium cæterarum Reginâ, magnâ suorum, & ingenti incolarum strage.

Hoc anno Lutheranæ hæresi datum est initium: cùm enim in Concilio Lateranensi decreta fuisset expeditio in Turcas, quorum potentia indies invalescebat, & ad hoc Leo Pontifex per universum Orbem Christianum Cruciatam cum indulgentiis promulgâisset, Archi-Episcopus

Moguntinus ejus promulgationis munus Patribus Dominicanis commisit, cum antea Eremitæ S. Augustini earum indulgentiarum per Germaniam promulgatores essent; nominatim autem ab illo Antistite electus erat Joannes Tetzelius, eò quòd is jam antè multam pecuniam militibus Teutonicis confecisset ad bellum Moschoviticum: Propterea Joannes Staupitius Augustinianorum Vicarius Generalis per Germaniam ejusdem Ordinis Martinum Lutherum Theologiæ Professore, Wittenbergæ concitavit adversus quæstores illos, præsertim quòd multa dicerent ac facerent, quæ à viris prudentibus probari non poterant; Martinus autem non modò multa perperam ex superiori loco contra indulgentias effutiit, sed & theses promulgavit, quibus & earum inanitas, & quæstorum sordes aperirentur. Has statim Tetzelius ipse Inquisitor Francofordii ut hæreticas exussit, eisque opposuit centum sex alias, quas Wittenbergenfes scholastici, jam afflati Lutheri spiritu publicis flammis cremaverunt. Ex quibus ignibus immensa eruperunt incendia, quæ aquæ guttulâ (inquirebat Sadoletus) prudenti manu adhibitâ extingui potuissent. Sed corruptissimi Ecclesiasticorum mores  
exige-

exigebant hanc pestem, quos potissimum Lutherus exagitandos suscepit, & in eos scommata jaciendo, voluit ea esse suæ sectæ, errorisque fundamenta.

✽(1518.)✽ Selimus Turcarum Imperator felicibus belli successibus elatus, ad Imperium Romanum occupandum animum & vires adjicit. Vicissim Leo Pontifex in eundem Principes Christianos accendere laborat, sed conatui ejus obsistunt exortæ novæ hæreses, quas Martinus Lutherus vel novas effingit, vel antiquas resuscitatas denuò spargit, quem tamen & disputatione & scriptis Joannes Eckius Ingolstadiensis Doctor egregiè refutat, Maximilianus quoque Cæsar tantis malis obviare volens Lutherum ad Comitia Augustana evocat, ejusque causam discutendam Cardinali Cajetano tunc Legato Pontificio committit. Lutherus quidem coram Cardinali se sistit, eidemque se quoad speciem submittit, sed postmodum inde clam elabatur, iterumque a Legato citatus ad Pontificem, & a Pontifice ad Concilium Generale provocat, more scilicet hæreticorum ad tergiversandum, non emendandum.

✽(1519.)✽ Maximilianus Imperator Welsii in Austria moritur, anno regiminis

26. In ejus locum successit Carolus V. Hispaniæ Rex, anno ætatis 19. quanquam Electores Trevirensis & Brandenburgicus propensiores essent in electionem Francisci Regis Gallorum.

Leo Papa Militium Legatum mittit in Germaniam ad novas hæreses sopiendas: agit is cum Lutero, eumque impellit, ut ad Pontificem demissè scribat, quod ipsum Lutherus præstat, excusando se, & temeritatem suam deprecando. Inter hæc Lipsiæ instituitur disputatio publica inter Eckium & Lutherum coram Georgio Saxonix Duce, iudicibus Theologis Parisiensibus & Erfordiensibus, qui palmam victoriæ Eckio contra Lutherum clamoribus adjudicârunt: Et vincendus tunc fuisset Lutherus, si Germanis Principibus mens læva non fuisset.

Floruit hoc tempore Erasmus, natus Roterodami in Batavia anno 1464. aut 1467. ex furtivo (ut alii scribunt) concubitu sacerdotis cum ancilla, alii autem, patre pistore Goudano, unde dictus fuit Gerardus Gerhardi, quæ vox cum Belgicè significet *Desiderare*, hæc duo nomina in Latinum Græcumque commutavit, dicique voluit Desiderius vel Erasmus. Vir absq; dubio magnæ eruditionis, sed paulò liberio-

liberioris; unde dicitur Luthero suffecisse materiam, & causam dedisse huic proverbio: *Aut Lutherus Erasmitat, aut Erasmus Lutherizat.* Multi & magni viri putant, illum à fide nunquam defecisse, sed traductum & infamatum fuisse à Monachis, in quos impotentius incurrit, & inde aliquam apud Catholicos notam impietatis contraxit.

Ad hunc quoque annum spectant initia Udalrici Zwinglii Helvetii, qui prius Glaronensis, deinde Eremitanæ, denique Tigurinæ Ecclesiæ parochus, ubique se impudicum, ebriosum & vitiis omnibus deditum ostendit, ac demùm acerrimus extitit Sacramentarius, & tametsi in quibusdam Luthero accineret, postea tamen infensissimus ejusdem hostis fuit.

✠(1520.)✠ Moritur Selimus Turcarum Imperator, ei que succedit Solimannus hujus nominis secundus.

Carolus Imperator coronatur Aquisgrani, & fratri Ferdinando Austriam & Maximiliani avitos Principatus concedit.

Christiernus Rex Daniæ Stockholmi-um Sueciæ Metropolim capit, & Episcopos atque Proceres ad convivium vocatos crudeliter interimit, & urbe direpta redit in Daniam. *Ita Historia Daniæ.*

Ferdi-



Ferdinandus Magellanus stipendiis multis sub Albuquerque factis, nec satis honoratus ab Emmanuele Lusitano, Carolo V. se dedit, & acceptis ab illo navibus quinque in Occidentem direxit iter, detectoq; nobili freto, quod ab eo nomen traxit, ad Molucas cum duabus tantum navibus peruenit, quas cum, Lusitanis absentibus, onerasset, una earum ad scopulos allisa, ante Promontorium Bonæ Spei periit: altera, cui Victoriæ nomen, Hispalim post triennium appulit, Orbe circumnavigato.

Lutherus à Leone Papa excommunicatus ad Concilium Generale appellat, & Jus Canonicum cum Bulla suæ excommunicationis Wittembergæ publicè cremat; e contra Lovaniensis & Coloniensis Academia Lutheri scripta multis erroribus & hæresibus referta damnant, & igni adjudicant, sed & Carolus ejusdem Lutheri scripta, non tantum in Hispania, verum etiam in Belgio exuri mandat.



## DE CAS III.

✻ *(Ab anno Christi 1520. ad 1530.)* ✻

1521. **C**Arolus V. Imperator in Comitibus Wormatiæ Lutherum cum salvo

con-

conductu evocatum & obstinatum proscribit, eiusdem scripta & personam damnat Universitas Parisiensis. Et Henricus VIII. Angliæ Rex libro egregio errores ejus refutat, & ob id à Leone Papâ titulo *Defensoris fidei* donatur.

Oritur bellum diuturnum, quod postea 38. annis duravit, inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum I. Regem Galliarum.

Galli urbem Pampelonam primariam regni Navarræ expugnant, in quâ oppugnatione Ignatius Lojola nobilis Cantaber ictu bombardæ ex lapide convulso crure uno, altero vulnerato, ad extremum vitæ periculum adducitur, unde Societatis Jesu fundandæ occasio illi divinitus injecta, Deo illum, & institutam ab eo Societatem Luthero opponente.

Solymanus Turcarum Imperator Belgradum expugnat.

Leo X. Pontifex moritur ex lento veneno, ut quidam scribunt per cubicularium propinato, de quo tamen nulla questio instituta est, ne Princeps aliquis potentior in crimen vocaretur: adversus hunc Pontificem supra modum calumniis suis desæviant hæretici, quem etiam *Purpuratū* & *Insulatum Sardanapalum* appellare audent, à qui-

à qui-

à quibus tamen vituperari magna hujus Pontificis gloria est.

Moritur item Emmanuel Rex Lusitaniæ laudatissimus, cui filius ejus Joannes III. annorum viginti successit.

✽(1522.)✽ Hadrianus Belga Trajectensis, vir doctissimus, & ex Theologo Lovaniensi, & Caroli Imperatoris Præceptore factus Cardinalis, titulo Pamphili, cum absens in Hispania Cæsar-Augustæ Pro-Regem ageret, eligitur Romæ in Pontificem, qui nomen non mutavit, sed retinuit, & dictus est Adrianus VI.

Christianus seu Christiernus Rex Daniæ ab Ecclesiâ deficit, & paulò post ob crudelitatem suis intolerabilis factus, à Friderico patruo, Holsatiæ Duce, cunctis regni ordinibus adhortantibus, armis impetitur, & unâ cum thesauro, liberis, & conjugè Elisabethâ Caroli Imperatoris sorore in Belgium profugit, in locum ejus successus est Rex Daniæ & Norwegiæ idem Fridericus, Sveciæ verò regnum postea obtinuit Gustavus, quem Sveci elapsus è custodiâ Christierni Governatorem adversus eum constituerant, qui & ipse deinde abdicatâ fide Catholicâ Lutheri sectæ se dedit.

Rhodus à Turcis diu strenuè defensâ tandem

tandem prodicione capitur: Obsedit eam Turca cum trecentis primùm, ac deinde quadringentis navibus & ducentis ac postmodum trecentis armatorum millibus, per Mustapham terrestrium, & Curroglum navalium Præfectum, quibus Philippus Villiericus ex Liladami familia cum sex millibus supra hominem fere & vires humanas restitit: sperabatur ab Occidente, auxiliium, sed Christiani Principes suis commodis intenti & mutuis bellis collisi, religionis obliti sunt. Ipsi quoque Veneti timuerunt displicere Solymano, & Gabrielem Martinengum nobilem machinatorem Brikianum, quia subiêra Rhodum, bonis omnibus exuerunt. Faverunt quoq; Barbaris Judæus Medicus magni nominis, & Andreas Ameralus Lusitanus Prior Castellæ & magnus Ordinis Cancellarius inimicus Villierici, per quem hostibus omnia consilia manifestabantur, unde mirum non fuit Rhodum domestico & externo malo pressam periisse. Jam Turcæ convasabant sua & sub tam forti præsidio de Rhodo expugnanda desperabat Solymanus, tum per transfugam & Amaralum moniti sunt expectare, tantisper Rhodios, vulneratos, cæsos, egenos & omni ope destitutos diu haud posse resistere. Inter hæc Cancellarii  
pro-

proditio paulò tardiùs detecta est, deprehenso ejus seruo cum litteris, quas ad Turcos ejaculabatur, qui baptizatus & suspensus est. Amaralus autem impænitens capite plexus, Medicus quoque detectus obiit factus Christianus, cum eques ætatis profectæ & diu religiosus vixisset. Initio itaque Decembris Achmetes Bassa, qui Mustaphæ successerat, svadet Solymanno ut spe clementiæ, & magnis promissis Rhodios ad deditioem invitet; hi sine muris & sine pulvere tormentario & pænè omnes fauciati, honestissimis conditionibus, quæ à Turcis contra consuetudinem servatæ sunt, deditioem faciunt. Inter conditiones erat, ut qui vellent, abirent, qui remanerent, quemadmodum sub Equitibus liberi essent. Solymannus ipse Villiericum invisit, suumque patrem appellavit, & ut apud se viveret invitavit, ille egit gratias & Kalend: Januar: conscensis navibus in Cretam abiit, quem secuti sunt incolarum Cœ Insulæ quatuor millia, & multi Rhodii, qui Dominos suos Equites jam ab annis 200. & duodecim relinquere noluerunt.

Res Francica in Italia plurimum infirmatur & passim perit, præsertim quando etiam Genua hoc anno occupata atque direpta fuit à Cæsarianis, Gallis Francisco

Re-

Regi suo improvido multum indignantibus & stomachantibus. Ducatus quoque Mediolanensis Gallis ereptus est.

In Germania Lutherus Wormatiâ egressus & in via retractus ad arcem, in eâque inclusus, quam deinde Pathmon suam vocavit, etiam invito Friderico postmodum ex arce illa Wittenbergam redit: Cui adjunctus Carlstadius factus agricola, & Philippus Melanchton Pistor, ille etiam Archidiaconus licet, duxit uxorem, cui Epithalamii loco Lutherus missam ridiculam & turpem satis occinendam composuit. Celebratæ sunt hæ nuptiæ ebriis omnibus, convivis & veteris asinæ carnibus saturatis quam, ferinæ loco, scabiosam è molendino mastari jusserat vicinus Dynasta, submissis deinde ejusdè jumenti auribus & pedibus, ut intelligerent convivæ quibus epulis deliciati essent. Multa quoque Lutherus tum scripsit aut veriùs evomuit, jam in omnem turpitudinem effusus in quam omnem ferè trahebat Germaniam. Et mirum fuit Fridericum Saxonem Electorem, & fratrem ejus Joannem, Lutherum fovere potuisse, quem tamen Ferdinandus Austriæ & Georgius Dux Saxonie exagitabant: cum nihilominus plures alii, qui eum comprimere debuissent, segniores essent, quam qui

qui

qui eum ventilarent, adeo incendium hoc excrevit, ut sopiri amplius non posset & Septentrionem pænè omnem inflammaret.

✽(1523.)✽ Hadriauus Papa moritur cui successus est Julius Medicæus Florentinus dictus Clemens VII.

✽(1624.)✽ Perdurant in Germaniâ tumultus de religione, multis conventibus pro controversiis novis & novis semper emergentibus, Norinbergæ, Ratisbonæ, Spiræ habitis, Initæ quoque disputationes acerrimæ irritò semper compositionis eventu, novatoribus pertinenter contra Catholicos errores suos tuentibus, unde natæ sunt inter eos 60. diversæ Sectæ, quas longum nimis esset numerare.

Lutherus quoq; abjecto jam cucullo monastico, apostasiæ à fide, addit apostasiam à religioso Ordine, uxore ductâ Catharinâ Boræâ Sanctimoniali ex Monasterio Mynicæ abreptâ, cuius pravum exemplum magna mox turba monachorum & Clericorum secuta, & facta est longè lateque eluvio omnium scelerum.

Non defuit tamen suæ Ecclesiæ providus & benignissimus Deus, qui deficientibus aliis novâ prole alibi Ecclesiam suam propagavit, viros in fide fortes & institutis

tutis ac moribus sanctos impiis apostatis opposuit. Hoc enim anno institutus est Ordo Clericorum Regularium quos Theatinos vocant, à Petro Carafa Episcopo Theatino, qui postea creatus est Pontifex, dictus Paulus V.

In regno quoque Mexicano quidam Valentinus cum 12. monachis verbo & miraculis promovet fidem.

Floridam hoc anno lustravit Joannes Verrazanus Florentinus sub auspiciis Francisci I. Galliarum Regis, & regionem illam novam Franciam appellavit Canadensem quoque; dixit à magno fluvio qui eam alluit & Canada vocatur. Dicta postea est Insula S. Laurentii.

✽(1525.)✽ Jubilæum hoc anno raro & tenui concursu celebratur Romæ, quia Italica bella & hæretici passim Indulgentias allatrantes multum pietati promovendæ obstabant.

Hoc anno Franciscus Galliarum Rex Papiam obsidet, quod omnes periti rei militaris dissuadebant, censebantque; in tuta loca recedendum esse, sed prævaluit Admiratus Boniverus, ex quo uno Rex pendebat, itaque pugna inita à Ducibus Caroli Imperatoris Rex Franciscus ferocius quam fortius pugnans & ore, manu, femore, faucibus

cuius



cius equoque suffosso, captus est cum Henrico Navarræ Rege, aliisque proceribus Boniverius autem ne veniret in Borboni manus in confertissimam aciem irruent non inultus occubuit cum Palissio & Leocurio Mareschallis, multisque viris magni nominis. Octo Francorum millia aut ferro, aut in Ticino fluvio periëre. Ex Cæsarianis vix septingenti cæsi sunt, inter quos Ferdinandus Castriottus equitum Præfectus, magni Scanderbegi pronepos Regis manu interfectus est. Franciscus ut se dederet Borbonio, adduci non potuit: venit ergo in Lanoii manus, liberaliter habitus, & ut deceret Regem: quando etiam oblitus sui ipsius obtinuit, ut pueri ephœbi Franci ex Italorum manibus eriperentur, & darentur Hispanis, apud quos castius servarentur. Ad pedes capti Regis advolutus Borbonius veniam petiit, excusavitque factum, suam scilicet à Rege defectionem, ad quod ab Aloysiâ Regina impulsus esset, jam expertus suæ ultionis dulcedinem multo felle dilutam esse. Henricus Navarræ Rex è custodiâ Ticinensi brevi evasit: Franciscus autem navis ductus est in Hispaniam, & ubiq; humanissimè & regiè exceptus, ægotavit autem non multò post valde periculosè Madridi,

driti, ubi medicis suadentibus eum Carolus invisit, & spem libertatis injecit, exinde melius habuit.

In Germania bellum rusticum eorum, qui contra Clerum & suos Principes à Luthero excitati insurrexerunt, sopitur, occisis ex iis supra centum millibus, & Duce eorum Müntzero capite plexo.

Videntur etiam hoc anno exorti Molles Lutherani, cum Philippus Melancton Philippum Hassiæ Landgravium ad hæresin traduxisset, eidemque persuasisset ut nihil de Ecclesiæ ritibus inmutari sineret.

Exorta est etiam secta Libertinorum, auctoribus ejusdem postea Tornaci exustis.

Senatus Parisiensis, ne Lutherana hæresis per Galliam serperet, ejusdem primum promulgatorem flammis exurit.

Albertus Marchio Brandenburgensis, Magister Ordinis Teutonici in Prussia, cum diu subterfugisset Sigismundo Regi Poloniæ Sacramento se obstringere, sicut olim inter ipsorum antecessores conventum erat, nunc tandem fatigatus infestationibus & insidiis à Polonis calamitatibus cum Rege transigit, ut Ordo mutetur in Ducatum, qui ipsi Alberto jure hæreditario conferatur, eaque ratione ipse pri-

C

mms

mus Dux Prussiae creatus, & factus est Lutheranus, & ut Magistrum suum Lutherum imitaretur, anno sequenti uxorem duxit Dorotheam Regis Daniae filiam, futurus liberorum ex carne pater, & non amplius in spiritu & Christo pater Cruciferos.

Detecta est hoc anno à Francisco Pizarro Hispano Duce, Regio Peruana, ditissima & feracissima auri ac argenti, cujus caput Cusco est Regia sedes, quam intra annos octo Hispanico Imperio adjunxit, caeso Imperatore Peruano Atalipâ.

Ordo Patrum Capuccinorum inchoatur, quem Deus hæresiarchis spurcissimis hujus temporis opposuit, qui ab hæreticorum abominationibus homines suo exemplo, & carnis inimico vivendi instituto revocaret.

### ERRORES ET HÆRESIS MARTINI LUTHERI.

1. **L**utherus magnam scripturae partem tanquam apogrypham repudiavit, videlicet Tobiam, Judith, multa capita ex Esther, Job, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, partem Danielis, libros Machabæorum, Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolam Jacobi, secundam Petri, duas ultimas Joannis, Epistolam Judæ & Apocalypsin.

2. Er-

2. Errores vocabat omnes scientias speculativas.

3. Negabat honorandos aut invocandos esse Sanctos & cupiebat abrogari illorum festa.

4. Si non ipse Lutherus, quidam tamen illius discipuli impugnabant imagines.

5. Negabat in homine liberum arbitrium.

6. Censebat omnia necessitate absoluta & inevitabili evenire.

7. Hinc aliqui ejus asseclæ dicebant orationem esse inutilem.

8. Lutherus sibi persuadebat hominem gratiâ Dei excidentem aliud nihil facere posse quàm peccatum.

9. Ad Ecclesiam non pertinere nisi bonos.

10. Concilium generale etiam ritè congregatum errare posse, tam circa fidem, quàm circa mores.

11. Neque Apostolos, neque Prælatos illorum successores habere auctoritatem ullam à Jesu Christo condendi canones & leges.

12. Non licere quenquam ullis humanis legibus adstringere, unde concludebat non solum licere, sed etiam necesse esse calibatam & monachatum violare.

13. Prælati Ecclesiæ obtemperandum non esse nisi in rebus in scripturis apertissime expressis.

14. Summum Pontificem non esse aliis Episcopis superiorem.

15. Papæ nomen nihil aliud esse quam regnum Babylonis.

16. Anti-Christum non esse particularem personam.

17. Non esse timendam excommunicationem sed ut fulmen fanaticum irridendam.

18. Ecclesiam, seu Personas Ecclesiasticas non posse nec debere habere propria bona, unde Principibus suadebat Ecclesiarum expoliationes.

19. Homini justitiam in sola peccatorum remissione sitam esse absque ulla interna renovatione.

20. Justitiam non produci à Deo in nobis, neq; nobis inherere, sed Christi duntaxat justitiam nobis propter fidem imputari.

21. Peccatum in nobis semper manere.

22. Solam fidem justificare, non autem opera.

23. Justum certò etiam certitudine fidei scire se esse in statu gratiæ, licet nullam ejus revelationem specialem habuerit.

24. Christianum non posse salutem perdere, etiamsi vellet, nisi velit non credere, ita ut sola incredulitas damnationem afferre possit, & omnia peccata cætera à fide absorbeantur.

25. Peccata non imputari habenti fidem.

26. Imo aliud peccatum esse nullum præter infidelitatem.

27. Fidem quolibet peccato mortifero amitti, & quidem hic error cum antecedentibus parum convenit.

28. Nul-

28. Nullum esse præceptum in novo Testamento sine Evangelio, sed esse tantum exhortationes & obsecrationes.

29. Impossibilem esse mandatorum Dei observationem.

30. Primos motus esse peccata.

31. Timorem servilem, qui ob pœnam à peccato avocatur, esse inutilem.

32. Omnia opera hominis quantumcunque, bene sint facta, esse peccata.

33. Nullum esse meritum ad vitam æternam consequendam.

34. Nihil discriminis esse inter consilia & præcepta, eaque omnia quæ in Evangelio commendantur, esse præcepta, & nihil Deo gratum esse, nisi ipse præceperit, ac consequenter consilia esse interdicta, qui error à diametro pugnat cum errore decimo nono: ex eo tamen ipse Lutherus quatuor sequentia eliciebat.

35. Religiosam paupertatem ac mendicitatem esse prohibitam.

36. Prohibitum esse calibatum & virginitatem Domini mandato adversantem, observatuque impossibilem.

37. Obedientiam Prælati non esse exhibendam, licet ad eum quis se voto obstrinxerit.

38. Monachalem sive religiosum statum esse damnabilem, vota que religiosa ut impia & diabolica esse retractanda.

39. Jejunium nullius esse meriti.
40. Licere quibuslibet uti cibis omni tempore.
41. Heresim esse dicere Sacramentum ali-  
quod conferre gratiam accipienti, quæcunqu  
tandem sit ad illud præparatio.
42. Merè novorum esse Theologorum com-  
mentum asseverare Sacramentum aliquod im-  
primere Characterem.
43. Baptismo non deleri peccatum.
44. Confirmationem non esse Sacramentum,  
sed simplicem ceremoniam ac consuetudinem.
45. In Eucharistiæ consecratione & missæ ce-  
lebratione non esse aquam adhibendā, sic Lu-  
thæus in formula missæ, licet fluctuans ac dubitans.
46. Rejiciendam esse transubstantiationem  
Eucharisticam, & ipsum eundem panem, & ip-  
sum idem vinum manere post consecrationem,  
quod ante fuit.
47. Verum Christi Corpus non esse in Eu-  
charistia secundum existentiam permanentem,  
sed tantum secundum usum, eo scilicet tempore  
tantum quo manducatur & sumitur ac conse-  
quenter Eucharistiam in altari nunquam esse as-  
servandam extra sumptionem.
48. Unicuique Christiano cujuscunque sexûs  
ac conditionis & ætatis, necessariam esse sum-  
ptionem sub utraque specie, ita ut peccet si aliter  
fecerit.
49. Eucharistiæ sumptioni non esse præmit-  
tendam

tendam confessionem aut examen conscientia,  
vel ullam pœnitentiam, sed sufficere solam fidem,  
quâ quis credat & confidat, se in ea gratiam  
obtenturum.

50. Missam neque esse à Deo institutam, neq;  
esse sacrificium, in libro tamen, quem de missa  
privata conscripsit, liberè fatetur se à diabolo  
permotum fuisse ad missam impugnandam.

51. Missam offerri non posse pro peccatis,  
neq; aliis seu vivis seu defunctis prodesse, sed  
soli tantum Presbytero.

52. Pœnitentiam non constare ex tribus par-  
tibus, & optimam pœnitentiam esse novam vi-  
tam. Unde sex sequentes errores à Lutheranis  
inferebantur.

53. Eam contritionem seu pœnitentiam qua  
initium sumit ab horrore inferni, esse pernicio-  
sam imò peccatum.

54. Confessionem auricularem non esse à  
Deo, sed ab hominibus institutam.

55. Absolutionem esse à sola fide ut pœnitens  
verè sit absolutus, dummodo illud ita esse credat,  
licet contritione careat, neq; à Sacerdote seriò  
absolutus sit, sed tantum joco.

56. In pœnitentia & remissione peccatorum  
nihil amplius facere Papam, vel Episcopum quam  
minimum Sacerdotem. Quin etiam si desit Sa-  
cerdos quemlibet Christianum, imo fœminam &  
puerum posse idem efficere.



57. Neminem ubi absolutus fuerit, teneri ad satisfactionem.
58. Explodendas esse Papæ Indulgentias.
59. Purgatorium ex scriptura probari non posse.
60. Animas in Purgatorio, si illud existat, detentas posse adhuc mereri, adeoq; nec esse de sua salute adhuc securas.
61. Animas illas assidue peccare, quamdiu quietem querunt, & pœnas horrent, quoniam querunt quæ sua sunt, contra Dei voluntatem.
62. Extremam Unctionem non esse Sacramentum, licet sit aliqua ceremonia.
63. Ordinem non esse Sacramentum.
64. Fœminas Sacerdotii capaces esse.
65. Christianos omnes absq; ullo discrimine sexûs aut conditionis esse Sacerdotes, & eandem habere circa Verbum & Sacramenta potestatem.
66. Sacerdotes non debere calibatum servare.
67. Matrimonium non esse Sacramentum.
68. Polygamiam esse licitam, & posse virum absque peccato plures uxores habere simul.
69. Licere conjugum conjugem permutare, quando alter ab altero ad furtum aliudque peccatum inducitur.
70. Idem licere uxori, si à viro ethnico seu à Pseudo-Christiano deseratur.

71. Divortium fieri ac matrimonium dissolvi posse inter maritum pauperem & uxorem divitem.

72. Idem fieri posse ob frequentes rixas, si cohabitare non possint.

73. Idem fieri posse si alter alteri debitum conjugale neget & debitam benevolentiam. Hic inquit Lutherus, opportunum est, ut maritus dicat: si tu nolueris, alia volet; si domina nolit adveniat ancilla.

74. Posse virum uxorem ducere Patruelenam suam aut Consobrinam, imò & neptem ex fratre vel sorore.

75. Licet fluctuanter & dubitanter loquatur Lutherus, posse fratrem matrimonio sibi copulare sororem suam paternam vel maternam, modo non ex utroque parente soror existat.

76. Omnes, iis exceptis, qui predicationi insistent, teneri vitam operibus manuum sustentare, ita ut mendicare non liceat.

77. Injuriam patienti non licere à Judice expetere ut illa sarcatur.

78. Nefas esse bellum cum Turcis gerere, quandoquidem inquiebat Lutherus, illud est Divinae voluntati refragari, qui per Turcas visitat & corrigit nostras iniquitates.

Hæc cloaca errorum est Lutheri & Lutheranorum: attendat autem Lector, eos non tantum in Concilio Tridentino, sed

etiam in anterioribus Conciliis plerosque damnatos esse, quos Lutherus & affectu tantum resuscitarunt, omnes autem hæreticas propositiones & scandalosas in libris Lutheri aut Lutheranorum sparsim contineri, accuratè ostendit Gautherius in Tabulis Chronographicis Ecclesiæ Catholicæ, in citationibus marginalibus.

#### HÆRESIS JACOBI PPÆPOSITI.

*E*Rat hic natione Belga, Professione Augustinianus, sed Lutherum secutus in erroribus quem cum circa annum 1523. Ejurasset, eodem postea iterum in plurimis adhesit. Quocirca Religiosi in conventu Antverpiensi, qui ab eo in errorem inducti fuerunt, carcere conclusi sunt, & jussu Hadriani VI. Conventus ejus funditus destructus est. Puncta hæreseos ejus Protestolus recenset viginti septem, quæ in erroribus Lutheri continentur, ideoque repetere non est necesse.

#### DE ANABAPTISTIS, SEU MUNTZERIS, AUCTORE THOMA MUNTZERO, ET ENTHUSIASTIS.

*Q*uo primùm instrumento dæmon usus sit, ut Anabaptistarum hæresi exordium daret, non est omninò liquidum: alii Carlstadio, alii Zwinglio, alii Balthasari Pacimontano hanc palmam deferunt.

Sunt

Sunt, qui tribuunt Thomæ Müntzero, appellato etiam Monetario, Nicolai Storkii discipulo, qui circa annum 1524. sibi à spiritu revelatum esse gloriabatur, quòd gladio Gedeonis, quem se à Deo accepisse dicebat, universum Orbem cogere deberet, ad novum Christi regnum instituendum. Unde & ipse anno 1525. rusticos per totam Germaniam concitavit, ut in suos Dynastas arma capefferent. Sed Principes, inmissis in eos copiis, centum quinquaginta millia eorum interfecerunt, ipso quoque Müntzero capto, & justo supplicio affecto. Et hanc cædem probavit Lutherus, qui antea eorum rebellionem probaverat, ne scilicet ipse quoque ut incensor involveretur, jam enim in eorum concitatores legibus & ferro agebatur. Nicolaus Storkius dictus Pelargus inter mendicos fugitivus obiit: Balthasar Hubmejerus Pacimontanus diu vagus erravit, & tandem post longum carcerem anno 1528. Viennæ flammis exustus, & uxor ejus aquis submersa est, ambo scilicet per ignem & aquam ad majora supplicia transituri.

Müntzeri porrò & Anabaptistarum, qui eum secuti, præcipui errores sunt:

1. *Puerorum Infantium Baptismum inuti-*

C 6

lem

lem esse quare eos compotes rationis factos iterum abluunt, hinc Anabaptistæ seu Rebaptizantes nominati.

2. Negant filium Dei ex Beata Virgine carnem suam sumpsisse.

3. Realitatem & Sacrificium Eucharisticum rejiciunt.

4. Adeo Anabaptistæ ferini sunt, ut putent quamlibet feminam obligari, ejus qui se concupierit voluntati servire. Et vicissim virum quemlibet teneri ejus quæ se rogaverit libidinem admittere.

5. Adeo cæci sunt & turpitudinem suam non agnoscunt Anabaptistæ, ut eorum etiam cubilia damnent, qui suam sectam non sequuntur, ea polluta ac diabolica nominantes.

6. Chiliastrarum seu Millenariorum sædum errorem tuentur.

7. Concionantur communem libertatem à Principibus extinctam armis repetendam esse.

8. Cum Principatum & subjectionem omnem damnent & ejurent, credunt insuper se obligatos esse ad eos omnes Principatus & Magistratus tollendos qui suæ sectæ nomen non dederint.

9. Credunt peccata sua omnia propter Christum sibi condonata esse, & se in statu gratiæ vivere ac de gloria securos esse.

10. Thomas Müntzerus suos loca secreta querere jubebat, & illic sæpenumerò cogitare

quid

quid sit Deus? aliquamne curam gerat, rectane sit fides sua? petere etiam à Deo signa, quibus intelligant se illi curæ esse, & fidem suam esse Orthodoxam.

11. Suis mandabat Müntzerus, ne scripturis fiderent, sed haberent somnia tanquam signa certissima accepti à se Spiritus sancti.

12. Imperabat suis ut publicis sceleribus abstinerent, corpus jejuniis, asperis vestibus & taciturnitate affligerent, & barbam non raderent ut sic externis hisce simulationibus venenum interius dissimularent.

#### DE ANDREA CARLSTADIO.

**A**NDreas Carlstadius Archi-Diaconus Wittenbergensis, principio Lutheri affecla & amicus conjunctissimus, sed cum eâ familiaritas biennium non explisset, ab eo recessit, & circa annum 1524. Berengarii errorem restauravit, realem Christi Corporis & Sanguinis præsentiam impugnavit, & ex Lutheri addictissimo fratre intensissimus hostis effectus est. Hujus diffidii origo fuit, quòd Lutherò Wittenbergâ absente Carlstadius illo inscio illic missam abrogârit, habitum Ecclesiasticum abjecerit, Eucharistiam profanaverit, imagines è templis ejecerit, quòd Lutherus post reditum suum indignissimè ferens, acriter duos libros contra eum scripsit.

Memorant Surius & Sleidanus, Lutheri jussu è Saxonix finibus Carlstadium expulsum esse. Narratur item de Carlstadio quòd, absente Luthero, Wittenbergenfes scholasticos ed adduxerit, ut humaniorum litterarum libros comburerent, seque ad opificia addiscenda conferrent, quemadmodum & ipse factus est agricola, sicut & Melancton pistor, eo scilicet errore imbuti, neglectis scientiis omnibus soli & nudo textui Scripturæ sacræ operam omnem esse impendendam. De Carlstadio scribunt Ministri Basileenses, eum horribili morte vitam terminasse, & à dæmone interemptum.

DE JOANNE OECOLAMPADIO.

Joannes Oecolampadius Germanus, S. Brigittæ quondam Monachus, cum aliquamdiu adhæsisset Luthero, Anti-Lutheranus & Sacramentarius effectus est.

1. Circa annum 1525. scripsit contra realitatem Eucharistiæ, interpretans vocabulum est, verborum consecrationis Hoc est Corpus meum vocè Significat.

2. Negabat Christianis licitum esse bellum gerere.

3. Libertatem arbitrii rejiciebat.

4. Cultum & invocationem Sanctorum damnabat.

Coch-

Cochlæus in actis Lutheri narrat Oecolampadium, cum serò lectum petiisset, postero die manè in cubili mortuum à præ-tenta uxore suâ repertum esse, sive ipsa eum occiderit, ut plerique dicunt, sive ipse sibi manus intulerit, ut volunt alii, seu tortorem dæmonem habuerit, quem admodum scribit Lutherus in libro *de Mis-sa privata*, multum contrarius Bezæ qui in suis Iconibus ait, Oecolampadium, quem Basileensis Ecclesiæ restauratorem appellat, peste illic extinctum esse.

DE LIBERTINIS SEU QUINTINIS-  
TIS A QUINTINO ET COPPINO  
PROGENITIS.

Quintinus sartor Pikardus socio Coppino, circa annum 1525. pestiferum de libertate errorem in Brabantia & Hollandia disseminavit, pro quo, aliisque multis criminibus extremo supplicio Tornaci affectus est, hæresi prius abjuratâ.

*Fundamentum præcipuum Libertinorum fuit, unicum esse spiritum immortalem scilicet Deum Angelos autem, Demones, & hominum animos nihil esse, nisi meram opinionem, ex his Principiis sequentia dogmata deducebant.*

1. Omne id quod ab hominibus fieri videtur, sive bonum sit sive malum, ab ipsis non fieri, sed ab unico illo spiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur.

2. Pec-



2. Peccatum aliud nihil esse, quàm falsam & inanem quandam opinionem, quandoquidem Deus qui cuncta operatur, nihil mali admittendi potest.

3. Eos qui occidunt, machantur, aut furantur non esse arguendos, in Deum enim caderet ista reprehensio.

4. Regenerationem hominis in eo sitam esse ut omnis scelerum conscientia deponatur, remorsusque ejus expellantur, & quod inter bonum & malum discrimen intercedat, nesciatur. Nam, inquietabant, uti in statu innocentie ignorabat Adamus, quo differret bonum & malum, sic qui omnia quæ collibuerint nullam conscientiam reclamante, faciunt ad eum statum redeunt ita ut secundum eos in hoc libertas Christiana posita sit, & veteris Adami mortificatio. Unde si aliquem in peccando trepidantem & metuentem viderunt dicere soliti erant. O Adame! quid adhuc vides aliquem? adhuc retines illius pomi saporem?

5. Aliud nihil esse pœnitentiam, quàm se nihil mali admisisse cognoscere & profiteri.

6. Posse hominem in hac vita innocentie & perfectionis apicem conscendere, omnes conscientie stimulos reprimendo.

7. Ipsum Christum esse quiddam ex spiritu Dei & opinione compactum, tunc autem mortuum esse quando eam opinionem, quod ipse aliquid

quid esset, abolevit, ab inferis verò esse suscitatum, & vitam nobis restituisse, cum ipsummet Dei spiritum, qui vivit & regnat semper, nos esse docuit. Deniq; nullam aliam resurrectionem esse sperandam.

8. Licere omnia simulare & dissimulare, cum Catholicis vivendo Catholicè, cum Lutheranis Lutherano more.

9. Minimo loco habendas esse scripturas, cum spiritus sufficiat, unde Libertini adeo scripturam aspernabantur ut S. Joannem Evangelistam juvenem stolidum: S. Matthæum Fœneratorem, S. Paulum Vas confractum, S. Petrum Christi abnegatorem nominarent.

DE UDALRICO SIVE HULRICO  
ZWINGLIO, ZWINGLIANORUM  
PARENTE.

Zwinglius antea Canonicus Constantiensis, Carlstadium magistrum habuit & statim ab ipso pro Berengarii errore scripsit anno 1525. negans veram Christi secundum corpus & sanguinem in Eucharistia præsentiam & realitatem. Hoc facto probavit se Lutheri adversarium esse. Occisus est in prælio contra Catholicos gesto anno 1531. ejus verò corpus postea combustum est. Errores sunt, qui sequuntur.

1. Indulgentiis bellum indixit.

2. Te-

2. Testatur Zwinglius se per somnium edoc-  
tum esse quâ ratione Eucharistia veritatem im-  
pugnaret, à quodam spiritu, qui an albus an  
ater fuerit, negat se unquam potuisse meminisse.

3. Putat Zwinglius peccatum Originis non  
esse peccatum, sed naturæ morbum.

4. Gratiam rejicit, aut saltem cum Pelagi-  
i gratia necessitatem, quando docet homines  
suis viribus naturalibus & propriis meritis posse  
adipisci, & sic de Catone ac Scipione judican-  
dum esse, eos salutem consecutos fuisse.

5. Zwinglius ad Nestorianos, Luthero teste  
desciuit, cum verba Capitis primi S. Joannis  
corruptit, legens. Verbum Caro facta est.

DE DAVID - GEORGIANIS SEU DA-  
VIDIANIS, EX GEORGIO DAVIDE  
PROFECTIS.

**G**Eorgius David vitriarius Gandavi in  
Flandria anno 1501. ex circulatore  
natus, hæresin suam disseminare cœpit in  
Frisia anno 1525. cujus præcipua dogma-  
ta erant.

1. Se Dei nepotem esse dicebat ex spiritu, non  
ex carne natum, verum Messiam & tertium  
Davidem, qui in terra regnare debeat.

2. Cælum vacuum esse dicebat, ideoque se  
missum, ut in regni cœlestis hæredes filios ad-  
optaret.

3. Negabat resurrectionem mortuorum,  
postre.

postremum iudicium & spiritus aliquos esse seu bonos seu malos, itemque vitam aeternam.

4. Cum Adamitis matrimonium rejiciebat, jubens communia esse cubilia feminarum.

5. Sentiebat cum Manichæis animam peccatis non inquinari sed tantum corpus.

6. Infidelium animos æquè ac fidelium salutem adepturos, & vice versâ Apostolorum corpora non minùs inferorum flammis cremanda, quàm infidelium.

7. Stultum esse dicebat peccati accusare, si quis coram hominibus Christum negaret, unde insanos Apostolos & Martyres vocabat, quòd suo sanguine Christi fidem sancivissent.

Obiit David Basileæ anno 1556.

DE CHRISTOPHORO SCHAPLERO,  
ET ASSECLIS.†

Fuit hic Christophorus Schaplerus unus ex primariis Ducibus rusticorum, qui Müntzeri insolentissimæ factioni adhæserunt. Scripsit duodecim Articulos de Christianâ libertate contra Principatus & Magistratus propugnandâ. Præcipuus articulus fuit, Nullum esse Magistratibus tributum solvendum.

✱(1526.)✱ Solymannus Turcarum Imperator veritus, ne post Rhodum captam coirent Principes Christiani, Ludovico Hungariæ Regi pacem offert, quam ille  
recu-

recusat suadente licet Pontifice & Venetis. Solymanus itaque Hungariam ingressus cum 300. armatorum millibus, cum 25. millibus occurrit Ludovicus, Dux Austriae Paulo Tomoreo Archi-Episcopo Coloniensi Minorita, praelium imprudenter commisit, & victus cum ingenti suorum fragore periit in palude submersus, anno ætatis vigesimo: Periit etiam Paulus cum multis Episcopis: & magnâ parte Nobilitatis, cæsi sunt omnes aut capti Duces, præter Hannibalem Cyprium copiarum Pontificiarum Præfectum: Latè vastata Hungaria, captivi abducti 300. millia Christianorum. Ne autem ulterius Solymanus progrediretur, impediverunt in Asia motus excitati à quodam Saraceno monacho Calendero Zelebe, cui se multi Bassæ conjunxerant. Sed hic demùm victus ab Ibrahim Bassa, morte suâ Turcis pacem, & metum reddidit Christianis.

Ludovico successit Ferdinandus Archidux Austriae, & frater Caroli V. Sed brevè Bosniam & Croatiae partem Rex novus amisit, & Turcis cedere coactus est.

Sigismundus Rex Poloniae restituit fidem Catholicam Gadani, unde anno superiore depulsa fuit: In variis quoque locis cremati hæreticorum antesignani, hæresis

Veneresin nonnihil suo cinere restinxerunt ,  
n in ubique blandius sese insinuantem , ut po-  
s, cū istea atrocius debaccharetur.

Du Franciscus I. Rex Franciæ cū in cu-  
Colo stodiā Hispalensi convaluisset, adeo duris  
con conditionibus emissus est in libertatem à  
rag Carolo V. ut, quamvis duos filios obsides  
is vi dederit, tamen, cū postmodum in Gal-  
ulti liam pervenit, mense Martio habitis regni  
s, cæ Comitibus decretum fuerit , condiciones  
eter admitti non posse quoad restitutionem  
ntifi Burgundiæ & plurimorum jurium renun-  
nga ciationem , ingentem tamen vim pecuniæ  
ano pro Regis redemptione persolvendam esse.  
nus Rex insuper in firmæ amicitiae pignus , uti  
mo convenerat, ad ducendam Eleonoram so-  
cho rorem Caroli, & viduam Emmanuelis Re-  
con gis sese offerebat. Cū verò hæc Caro-  
lbra lus acceptare abnueret , & Duces ejus in  
me Italia Franciscum Sfortiam Ducem Me-  
chi diolanensem proditoris insimulatum ex-  
Sec pulissent, ac denique quòd Carolus in Hi-  
no spania diceretur lege cavisse , ut Pontifi-  
est. cia diplomata Regius Senatus examina-  
t fi ret, his de causis Clemens Pontifex cum  
su Rege Francisco, Venetis, ac Longobar-  
e lo dis foedus contra Carolum iniit , Anglo  
hæ etiam ad id sollicitato , & Carolo ægerri-  
refia mè id ferente, cujus Duces propterea  
Pon-

Pontificem supra modum vexârunt, & di-  
reptâ supellectile in castrum S. Angeli se  
recipere coëgerunt, omnibus Ecclesia  
fulminibus neglectis. Mox etiam hoc eo-  
dem anno adhuc Lanoius cum classe  
Hispanica Cajetam appulit, Francisco &  
Carolo pro gravissimi belli exarsuro in-  
cendio magnas ubique copias comparan-  
tibus.

✽(1527.)✽ Funestus hic annus fuit  
Romæ direptione: quando Carolus Bor-  
bonius Ductor copiarum Imperatoris in  
Italia Romam aggressus, & 3. Nonas Maij  
obsidere cœpit, urbem die sequenti ex-  
pugnaturus, quod & præstitit, ipse sca-  
lam ferens ad murum, ut conscenderet,  
sed sclopeto ictus pugnandi vivendique fir-  
nem fecit; cujus tamen morte militum ar-  
dor restinctus non est, sed ultionis æstu  
magis accensi Philiberto Arausicano Duce  
ardorem ventilante magis & accendentes  
furiosâ vi urbem occupârunt, obvios  
quosque armatos & inermes trucidârunt,  
nobiles æquè ac divites, matronas & vir-  
gines prostituerunt, etiam sacris & Deo  
dicatis pudorem eripientes. Verbo, æqua-  
li furore in sacra & profana sævitum est,  
quodque instar omnium malorum fuit,  
etiam Vaticana Bibliotheca incensa indo-  
mitos

& di-  
geli se  
clesia  
oc eo.  
classe  
sco &  
o in-  
aran-  
s fui  
Bor-  
ris in  
Maj-  
ti ex-  
fca-  
eret,  
ue fi-  
m ar-  
æstu  
Duce  
ente.  
ovios  
runt,  
& vir-  
Deo  
qua-  
est,  
ait,  
ndo-  
mitos

mitos furentium ardores experta est, ut non à Christianis, sed ab Ottomanis urbs capta putaretur. Novatorum asseclæ, præcipuè qui copiis Cæsarianis magno numero intererant, tunc ostendère, quo animo essent in Pontificem & Ecclesiam, nulli parcentes contumeliæ in Antistites & Sacerdotes, quorum multi ex plagis & vulneribus interière, & hæreticis quidem permixti Itali, Hispani & Germani Catholici cum lupis pariter ululârunt: Clementem Pontificem in arce S. Angeli obsessum durissimis conditionibus sese dedere compulerunt: quo rerum eventu audito Florentini Medicæos expulerunt, & disjectis Pontificum Leonis ac Clementis imaginibus pristinam Reipublicæ suæ formam reducere conati sunt. Carolus autem Imperator magnum præsetulit mœrorem, supplicationibus etiam publicis institutis, hæc tam atrocia se invito perpetrata esse, plurimùm verbis contestatus, qui etiam Pontificem è custodiâ emitti iussit, lytro tamen ingenti priùs deposito. Videbatur tunc multis Cæsar id non facturum fuisse, sed potius in Hispaniam captivum Pontificem missurus, nisi Henricus VIII. Rex Angliæ ad Pontificis partes in hoc afflicto rerum statu se convertisset, & pari-

pari-



pariter Galliarum Rex ad liberandum Pontificem exercitum misisset.

Inter hæc in Germania scriptis atrociter certatur, & Lutherus parcebat nemini non Tiaris, non Coronis: vicissim ipse multis impetebatur. Altercantur etiam graviter inter se Semi-Lutherani, qui postea Adiaphoristæ & Confessionistæ sunt dicti, & Lutherani rigidi, aliter a Mathi Flacco Illyrico nuncupati Illyricani.

✽(1528.)✽ Franciscus I. Galliarum Rex pro sua redemptione & ad liberandos obfides filios offert Carolo V. vicies centum millia, quos cum Carolus recusaret, & vellet adimplere initas conditiones ad pacem, indictum est illi a Francis pariter & Anglis bellum. Franciscus quoque Galliarum Rex ad singulare certamen Carolum provocavit, quam provocationem tamen Cæsar merito elusit.

Lautrechius cum Gallico exercitu ingressus regnum Neapolitanum, omnes urbes ferè occupavit, præter Neapolim & Cajetam, quam etiam obsedit; factum tamen Gallorum levitate, ut iterum perderent, quidquid facili labore acquisiverant.

Henricus VIII. Catharinam Caroli V. materteram facto divortio repudiat, & Annam Bolenam in sociam tori & regni adscit.

adsciscit, quod cum Pontifex improbaret, simul foedus & amicitiam cum Henrico abruptit. Huic divortio initium & causam praebuit Cardinalis Volsæus, qui, cum videret Regem despiciere uxorem suam, ex qua tamen Mariam susceperat, suspicionem illi injecit de valore matrimonii, cum eam per Pontificis dispensationem initi, & pro Catharinâ obtulit Margaritham Alenzoniam, Francisci I. sororem; Verum Rex impudicus in Annam Bolenam oculos conjecerat, foeminam quidem non venustam, sed staturâ, cantu, fidibus, & facetiis non illiberalem. Hanc quidam scortum nobile Parisiis fuisse scribunt, imò & susceptam ex Henrico de adulterio, qui matrem ejus deperierat, quod tamen Henricus nihili fecit, cui & aulicus quidam scurra dicere & abblandiri non erubuit, si matrem deperiret & filiam, eum non plus peccaturum, quam si in prandio gallinam, in cenâ pullam ejus comedisset. Henricus porrò cum causa divortii Romæ ageretur, inter constitutos à Clemente iudices Cardinales, Laurentium Campejum, & Thomam Volsæum, jussuque Pontificis protraheretur (sperabat enim Pontifex, hoc negotium tempore & patientiâ extinguere posse) pertæsus moram, & suspica-

D

tus,

tus, se à Volsæo delusum esse, eum Cancellarii dignitate exiit, & Eboracum relegavit; hîc bonis pænè omnibus spoliatus, & demum Londinum vocatus, ut causam læsæ Majestatis diceret, in itinere ex dysenteriâ obiit, vir ingenio, solertiâ & simul criminibus magnus, & post ejus obitum anno sequenti divortii negotium tractari cœpit inter Theologos & viros eruditos: Rex habuit suos & pro se, sed sceleratos omnes, Catharina probos tantum & veritatis amantes, inter quos cùm emereret Thomas Morus, eum Henricus Cancellarium creavit, ut ad partes suas pelleret; Stetit quoque à Reginâ Reginaldus Polus Regis consanguineus, magnæ expectationis & doctrinæ juvenis, sed adhuc majoris constantiæ, qui etiam mortem sibi Regis manu paratam neglexit, ne veritati defuisse videretur. Incepit igitur jam ab hoc tempore Henricus Romani Pontificis nomen averfari, ut se Caput Ecclesiæ Anglicanæ posthac nominaret.

In Galliâ celebratur Concilium Senonense contra hæreses, & pro morum reformatione.

Ordo Patrum Capuccinorum à Clemente V. Pontifice, magno Ecclesiæ bono, confirmatur.

✱(1529.)✱ Novis indies festis Rempublicam dilacerantibus Spiræ in Conventu Imperii agitur de expeditione contra Turcas, & decernitur, standum esse edicto Wormatiensi contra Novatores, contra hoc edictum Principes Lutheranæ sectæ addicti, solenniter protestati sunt cum Joanne Electore Saxonæ, & Landgravio Hassiæ, ex quo etiam *Protestantes* appellari cœperunt.

Carolus V. cupiens coronari à Pontifice, redit in ejus gratiam, & pacem init cum illo, & simul cum Francisco I. Rege Galliarum, summo Christianitatis emolumento.

Celebratum est hoc anno colloquium Marpurgense inter celeberrimos hujus temporis heterodoxos, quod dissolutum est, renuente Luthero Zwinglium appellare fratrem. Postea Protestantes Smalkaldiæ Conventum egere, ratumque habuerunt, eos deinceps tanquam hostes excipere, qui doctrinæ suæ repugnant, & mutuo inter se fœdere devincti, nequaquam de Turcis cogitarunt, quanquam hi formidando exercitu irruptionem pararent.

Solymannus Imperator Turcarum à Joanne Waywoda evocatur, ut regnum reciperet, quo per Ferdinandum

Austrium exclusus erat ; igitur cum magno exercitu ducentorum millium Hungariam inundat , ac eodem impetu Quinque-Ecclesias , Albam-Regalem , Pestum , Budam , Strigonium , Altenburgum occupat , & urbibus cæteris certatim se dendentibus , Viennam etiam obsidet , eamque graviter oppugnat , sed fortius eam tutatus est Philippus Palatinus Rheni. Quare Solymannus post viginti dies acerrimæ oppugnationis , desideratis suorum sexaginta millibus , recessit.

Hoc tempore actum est cum Carolo V. de Insula Melita Rhodiensibus Equitibus danda , quam anno sequenti possidere ceperunt cum obligatione accipitris unius singulis annis Regi Neapolitano offerendi & Professionis clientelæ , quoties novus Princeps regnum adiret. Exinde nomen traxerunt *Equites Melitenses* , per contemptum dicti à Turcis Piratæ , sed revera egregii contra Turcas propugnatores.

\*(1530.)\* Carolus V. Bononiæ coronatur Imperator , & exinde Comitia Imperialia Augustæ celebrat , in quibus Protestantes offerunt Imperatori Confessionem suam à Philippo Melanchtone conscriptam , quæ ab Imperatore rejecta est , jussique omnes redire ad pristinam fidem.

Egre-

Egregiè tunc à Catholicis Doctoribus pugnatum est. Obtulerunt quoq; suam Confessionem civitates Zwinglio adhærentes, sed & illa repulsam tulit, & Carolus V. laudabili exemplo pietatis & fidei tunc omnibus Principibus præluxit, quando ardentissimo sole nudo capite, manu præferens facem Theophoriæ in solenni supplicatione interfuit, & fidei suæ Orthodoxæ, ac pietatis erga Augustissimum Sacramentum publicum specimen exhibuit.

Hoc anno Franciscus I. Rex Galliæ liberos suos tandem recepit, & simul Eleonoram sororem Caroli, relictam Emmanuelis conjugem duxit.

DE PHILIPPO MELANCHTONE  
MOLLIUM LUTHERANORUM, SEU  
CONFESSIONISTARUM DUCE.

Hic rem suam agere & ex parte a Luthe-  
ro sese subducere cœpit anno circiter  
1630. Unde ejus sectatores SemiLutherani  
& molles Lutherani dicti sunt, cùm econ-  
tralllyricani, quòd sub vexillis Flacci Il-  
lyrici, antea Melanchtonis discipuli,  
Luthero strictius adhæsisserent, Rigidi Lu-  
therani appellati sint. Inditum quoque  
illis nomen *Confessionistarum*, eoquod ipse  
Melanchton composuisset & manu suâ  
scripsisset novam Confessionem, Augu-  
stanam

stanam nuncupatam, & Carolo V. oblatam Augustæ. Obiit Melancthon anno 1560. cum ea religionis indifferentiâ ac inconstantia, ut vulgò *Cothurnus Germanicus* appellatus sit, & ipsum post obitum ejus terè omnes sectæ tanquam suum vendicarent. Præcipui ejus errores sunt:

1. Scribit in annotationibus suis in Epistola S. Pauli ad Romanos, quemadmodum vocatus Pauli, sic etiam Davidis adulterium opus Dei fuisse, & tam Judæ proditionem, quam Pauli vocationem auctorem Deum habuisse.
2. Docebat in eo positam esse veram fidem, ut unusquisq; credat sibi peccata sua dimissa esse.
3. Nihil inter præceptum & consilium delicti criminis interesse, & nullum in Evangelio consilium esse, sed omnia præcepta.
4. Posse hominem solis naturæ viribus se ad gratiam recipiendam disponere.
5. Docuit quidem primò, adherens Lutheri, nullam arbitrii libertatem, in locis autem communibus postmodum editis libertatem arbitrii acerrimè propugnat, & suam opinionem Manichei somnium & horrendum mendacium vocare audeat.
6. Bona opera nostra mercedem corpoream & spiritualem mereri fatetur, non tamen vitam æternam.
7. Evangelium legem esse negat, sed novum Testam-

*Testamentum meram esse omnis boni promissionem sine ullâ lege, nullâque habitâ justitiæ nostræ mentione. Sed hæc manifestè repugnat tertio ejus articulo.*

8. *Nullum aliud peccatum esse, quàm incredulitatem.*

9. *Baptismo solum Originis peccatum, non item alia deleri.*

#### DE MARTINO BUCERO.

**M**artinus Bucerus Argentinx natus Ordinem Sancti Dominici deseruit & ad Sacramentarios defecit anno circiter 1530. quibus postea relictis, Lutherum secutus est, & ab eo transit ad Zwinglium, cujus tamen spem elusit, & Luthero iterum se dedit, à quo tamen altera vice factus transfuga, partes nunc suas agere & tertiam Sectam erigere laboravit, quæ cum Sacramentariis Lutheranos copularet.

1. *Error ejus est, Christi corpus in Eucharistia præsens adesse quando sumitur, aliàs nunquam.*

2. *Sensum verborum Christi Hoc est corpus meum hunc germanum esse, Hoc est testamentum & memoriale beneficiorum Dei.*

3. *Eum qui solam habet historicam fidem (eam autem intelligit, quæ religionis Christianæ mysteriorum veritas creditur) in Eucharistia*



stia nihil accipere quàm signum corporis Christi.

4. Puerum infantem quanquam baptismo initiatum non salvari.

5. Baptismo non tolli peccata omnia, cum carnis concupiscentia remaneat, quam dicit esse peccatum, licet à Deo non imputetur.

6. Sacerdotes ad observandum cœlibatum non obligari.

7. Aliud nullum esse peccatum præter incredulitatem.

8. Debere omnes admissis quibuslibet sceleribus firmiter credere, se Deo gratos esse.

Defunctus est Bucerus in Anglia anno 1571. ubi ejus ossa combusta sunt anno 1575. dicitur in morte Judaismum professus, & negasse Messiam adhuc venisse, quæ res Bezam deterrere debuerat, ne eum in suis iconibus tantis laudibus efferret, ac diceret, Civitatem Argentinensem Bucero restitutam Ecclesiam debere.



## DECAS IV.

✽ (Ab anno Christi 1530. ad 1540.) ✽

1531. FERdinandus Caroli V. frater Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Comitibus Coloniensibus creatur Rex Romanorum & Aquisgrani coronatur Joanne Saxonie

xione cum Protestantibus reclamante, qui Regum Franciæ & Angliæ auxilium implorârunt, & Schmalkaldiam rursus convenientes, de sua defensione deliberârunt si à Catholicis invaderentur, Luthero seditiosissimis libellis igni oleum affundente. Ferunt tunc Franciscum opem pollicitum esse, Sicut & Waiwodæ Transylvano si adversus Ferdinandum arma moveret.

Joannes Tarnowski Russiæ Palatinus insignem victoriam reportat de Petro Waiwoda Moldaviæ.

Quinque pagi Helvetiorum (quos vocant *Cantones*) Lucernates, Urienses, Schwytenses, Unterwaldenses & Zugenses, boni Catholici à Tigurinis & Bernatibus, Zwinglianis malè accipiebantur, itaque bellum iis denunciarunt Catholici, & eodem mense quater vicerunt, licet numero & potentia superiores, ac Schaffhusensium & Basileensium fretos auxilio. Primo autem prælio quod 5. id: Octob. commissum est, pugnans cecidit Zwinglius, & accepto lethali vulnere iudicibus oblatus, ut proditor & hæreticus confiteri negans, flammis exustus est, & cineres à suis magnâ devotione collecti ac deinceps culti sunt.

Paulò post in lecto repertus est mortuus

Oecolampadius, cui successit in hæresi Bullingerus sacerdos Apostata: Quos hæresiarchas capitaliter oderat Lutherus, & afflatos dicebat à dæmone, cujus ipse Lutherus conviva fuit, multum cum eo salis absumens, ut ipse asseveravit.

Equites Melitenses Methonem Peloponnesi urbem invadunt & diripiunt.

Pontifex agit cum Basilio Magno Moschoviæ Duce de reductione ad unionem fidei Catholicæ, sed ultra litterarum & Legatorum commercia res non processit.

Schomascorum Ordo, quibus curæ est orphanos alere, & ad artes, bonosque mores instituere, ab Hieronymo Æmiliano nobili Senatore Veneto fundatur. Dicti hoc nomine à loco inter Mediolanum & Bergamum Somascha: alio nomine appellati Clerici S. Majoli. Huic autem Ordini in Gallia postmodum conjuncti sunt Patres Doctrinæ Christianæ; Obiit Hieronymus anno 1531. miraculis clarus.

Procudit hoc anno novam hæresin Michaël Servetus, Hispanus Sacramentarius, Anabaptista, Trinitarius, cui accinuit Johannes Campanus Germanus, scholæ Lutheri defertor.

✽( 1532. )✽ In Comitibus Ratisbonensibus

sibus constituitur, ut usque ad Generale Concilium nemini in causâ religionis negotium faceretur; unde multi de Carolo questi sunt: quem ad hoc impulerunt imminens bellum Turcicum, & turbata Germania.

Bellum Turcicum ingenti apparatu geritur, Carolo V. in exercitu numerante ducenta sexaginta armatorum millia, & Solymanno trecenta equitum millia, sed major fuit utrimque belli apparatus, quam effectus & fructus.

Carolus Imperator Bononiæ agit cum Pontifice de Concilio Generali, pace Italiæ, & bello Turcico.

Congregatio Recollectorum à Pontifice approbatur.

Franciscus I. Galliæ, & Henricus VIII. Angliæ Rex inter se conveniunt, hic cupiens abrumpi suum matrimonium, ille cupidus recipiendi Ducatus Mediolanensis, quorum consilia disjecit maturior Solymanni reditus ad sua, & Caroli in Italiam adventus.

Andreas Spoletinus Minorita in mediis flammis illæsus prædicavit fidem Fessæ, atque uti magus lapidibus obrutus est à Mahumetanis,

✻(1533.)✻ Barbarossa, aliter dictus  
D 6 Aeno-

Ænobarbus dictus Mytilenus, seu Hariadenus, totius maris Beglierbegus à Solymano constitutus, creatur insuper Rex Algeriæ, quam anno præcedente occupaverat, & cum classe centum triremium Moream, anno præcedente ab Andrea Auriâ, Hispanicæ Classis Præfecto occupatam invadit, & coronam aliaque loca recipit.

Defuncto Rege Daniæ post multa dissidia eligitur Christiernus Holfatiæ Dux, qui sublatis Episcopis Lutheranam sectam ibidem firmat.

Henricus VIII. Annam Bolenam sibi uxorem sumit, causa divortii per Thomam Cranmerium Archi-Episcopum Cantuariensem dijudicata, quæ causa præcipua fuit, cur Clemens Papa cum Francisco I. Galliarum Rege Messaliæ colloqueretur, ut tanto huic malo remedium inveniretur, quod plurimorum malorum seminarium postmodum fuit. Proposuit etiam paulò post Clemens aliquas Protestantibus conditiones, quas optimas licet Elector Saxonicus repudiavit. Tunc Lutherus Missam abolere primò cœpit, post habitum cum dæmone colloquium (ut ipse fatetur) Eucharistiam autem retinere decrevit.

Proba.

Probata est hoc anno Bononiæ à Cle-  
mente Congregatio Clericorum Regula-  
rium S. Pauli decollati, erecta Mediola-  
ni à tribus nobilibus viris, excitatis à Se-  
raphino Concionatore Canonico S. Au-  
gustini, hi adhortantes populum publicis  
expositionibus Epistolarum S. Pauli Apo-  
stoli multis profuere & adlectis aliquot so-  
ciis in Ecclesia S. Barnabæ Mediolani di-  
cti sunt Barnabitæ, post biennium à Paulo  
III. confirmati.

✽(1534.)✽ Monasterii in Westphalia  
cùm cives abdicatâ religione Catholicâ  
Luthero adhæssissent, & inde Anabaptista-  
rum errores imbibissent, veterèque Se-  
nату ejecto, novum ex suis elegissent, hoc  
anno à suo Episcopo cum auxiliaribus  
principum copiis mense Februario obfes-  
si, & acerrimè sese defendentes in Re-  
gem suum elegerunt Joannem quendam  
fartorem Leidensem, qui mox alios duo-  
decim ordinavit, quibus Ducatum & Epi-  
scopatus in totâ Westphaliâ distribuit, do-  
nec post toleratam durissimam summâ  
omnium rerum penuriâ, sedecim mensium  
obsidionem ex insidiis noctu capta urbs  
est, & cives ferè omnes trucidati, eorum-  
que Rex cum præcipuis regni Proceribus  
igneis forcipibus lacerati, in caveis ferreis

in spectaculum suspensi exponuntur.  
 Clemens Pontifex in Regem Angliæ  
 Henricum ob divortium Catharinæ ejus  
 Conjugis post longas moras, & diu frustra  
 expectatam pœnitentiam, publicam fert  
 anathematis sententiam, Rex autem pu-  
 blicis Comitibus in mense Decembri decre-  
 tum promulgat, quo se *Caput Ecclesiæ An-  
 glicanæ* pronunciat, pœnâ capitis statutâ  
 in eos, qui Pontificis auctoritatem in An-  
 gliâ agnoscerent, sibi que eo nomine an-  
 natas Beneficiorum Ecclesiasticorum, &  
 decimas persolvi jubet.

Insinuant se quoque hoc tempore hæ-  
 reses in Galliâ, Rex autem severè edicit  
 contra eas, & aliquot Lutherani vivi ex-  
 uruntur.

Barbarossa Rex Algeriæ Tunetum in  
 Africa Turcico subicit Imperio, pulso Re-  
 ge Muleasse Mauro.

Clemens Papa VII. moritur, cui sub-  
 rogatus est Alexander Farnesius, dictus  
 Paulus III.

Ad hunc quoque annum spectant Joan-  
 nis Calvinii initia; Et eodem anno S.  
 IGNATIUS LOYOLA Societatis JESU Pari-  
 sis ponit fundamenta, nactus novem so-  
 cios Fabrum, Xaverium, Lainium, Sal-  
 meronem, Bobadillam, Simonem Rode-  
 ricum,

ricum, Jajum, Codurium, & Broëtum, Parisiensis Academiae tunc temporis scholasticos, qui votis quibusdam nuncupatis obstrinxerunt se Deo sub B. Mariae V. patrocinio, ad Orbem universum Christo addicendum, tametsi ex diversis gentibus, odio capitali inter se disjunctissimis omnes oriundi essent, his tamen votis & sanctâ voluntate unanimes & conjunctissimi: Quibus viris usus S. IGNATIUS Ordinem suum brevî instituit, quo vix alter citius per Orbem dilatatus est, omni invidiâ & malevolâ contradictione majorem.

## DE JOANNE WESTPHALO.

**H**ic Lutheranus fuit, & in judicio propria confessione sequentium errorum convictus, circa annum 1534.

1. *Negabat expressè in Scripturâ contineri, Spiritum Sanctum à Filio procedere.*
2. *Afferebat, Ecclesiam errare posse, & reipsâ errasse.*
3. *Falsum atq; erroneum esse dicebat hunc S. Athanasii versiculum: Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*
4. *Dicebat, Concilia Generalia in Spiritu S. non congregari.*
5. *Non teneri omnes Conciliorum decretis obtemperare.*

6. Pen-



6. Pontificem Romanum legitimè institutum non esse Christi Vicarium.

7. Apostolos, eorumq; successores Ecclesie Prælatos à Christo potestatem non habere, Canones constituendi.

8. Damnabat vota religiosa, & Ordines à Pontificibus approbatos,

9. Sacerdotes omnes & Episcopos dignitate pares esse dicebat.

10. Non instituto Christi, sed hominum, Episcopum alium alio superiorem esse.

11. Christianorum nemini, etiam doctissimo unquam licuisse Christi verba interpretari, imò Ecclesiam universalem nullo id jure potuisse.

12. Non esse peccatum ullum originis, neque S. Augustino, qui id asserit, fidem habendam esse.

13. Nullam esse justam causam, propter quam Clericis lex continentie proponatur.

14. Christum neq; Quadragesimæ jejunium instituisse, neq; dierum 40. jejunio nos ad exemplum invitasse, imò nullum obligari ad jejunium.

15. Usus aquæ lustralis irridebat.

16. Convitiabatur indulgentias.

Deniq; in concione diei Parasceves de Christi Passione hæc verba pronunciavit: Crucifixerunt eum, quis scit autem, an funiculis alligaverunt cruci, an clavis suffixerunt?

DE BALTHASARE PACIMONTANO.

**E**X Anabaptistarum præcipuis hic unus fuit, & circa annum 1534. tantum de se rumorem excitavit, ut à multis illorum pater haberetur: Errores docuit communes cum Anabaptistis

DE GUILIELMO FARELLO, FARELLISTARUM DUCE.

**O**rtum habuit Vapinci in Delphinatu, & Genevam veneno suo infecit antequam Calvinus eam attigisset, qui tamen eam illi postea eripuit, adeò ut deinde Neocomensis Minister creatus sit. Diem obiit, prout refert Beza in suis Iconibus, anno 1565. Quod ad ejus errores attinet, præterquam quod fuerit Anti-Lutheranus & Sacramentarius Pauli Samosatani hæresin in integrum restituit, docens, Spiritum S. esse quendam motum creatum. Refricuit quoq; dogma Elcesaitarum.

✱(1535)✱ Franciscus I. Rex Galliarum acerrimum se hostem præbet Sacramentariorum, & aliquot eorum flammis addiecit, quod martyrium quia odit Calvinus, fugit Basileam, ibique pestilentes suas institutiones condit.

Carolus V. cum classe in Africam trajicit, & Coletam arcem capit victo Barbarossâ, Tunetumque expugnat, assertis in libertatem 20. millibus Christianorum, & Turcis magnâ strage in prælio contra Barbarossam

barossam deletis. Urbs ditissima exigua diripientium fructu direpta est, & res pretiosissimæ dissipatæ, sicque Muleasse suo regno restituit, ipso spoliato suo regno egentiozem Regem.

Henricus VIII. ex defensore Ecclesiæ f Diocletianus, crudelissimè sæviens in suos qui eum pro Capite Ecclesiæ Anglicanæ agnoscere recusabant, Fischerum Roffensem Episcopum, & Morum, præstantissimos viros tollit è medio, & illum quidem in carcere creatum Cardinalem, quorum capita in conto exposita, & Joannis Fischeri quidem nunquam contabuit, quod ne contingeret Thomæ capiti, id ad horrorem excoqui iussit; utriusque autem corpus raptim sepultum est, cum id à tyranno ultrà mortem etiam sæviens, prohiberetur. Operosè laborârunt Principes, ut ad sanam mentem revocarent Henricum, sed magis ille insaniit, 376 monasteriis expilatis, unde quingenta aureorum millia confecit, ipse tamen inops mansit, quia injustè parta luxuriosè dissipabat. Miserunt quoque ad Conventum Smalkaldicum tam Henricus Angliæ, quam Franciscus Galliæ Rex, hic Protestantes invitans, ut Concilium spernerent indictum Mantuæ, ille autem excusaturus supplicia

plicia sumpta de hæreticis, ita tamen, ut hæreticorum captare gratiam, fidem tamen horrere videretur.

Anna Bolena coronatur Londini, & parit Elisabetham redivivam Jezabelem.

Calvinus Ferrariam proficiscitur, ut hæresi inficeret Renatam, Ludovici XII. filiam, uxorem Ducis Herculani, anno insequenti autem Genevam profugit, ibi suam Formam Fidei offerens, sed & inde repulsus, fugere coactus est. Genuenses nihilominus ejuratâ prius fide Catholicâ, exactoque Episcopo cum nova religione novam sibi Reipublicæ formam constituunt, præcipuis hæreseos seminatoribus Petro Vireto Sabauda & Guilielmo Farello Delphinate, antequam eò Calvinus adventâisset.

\*(1536.)\* Barbarossa Tuneto pulsus, & Hipponam delatus, inde pariter insequentium incuriâ evolavit, & Algeriam devenit, ubi reparatâ classe minorem Balearum occupavit & vastavit, sicut & alias multas Christianorum opes, receptusque Constantinopoli tanquam victor, quia non desperâisset; verum autem triumphum Neapoli egit Carolus post deteriorem scilicet Saracenum Muleassen adversus minus malum Mahumetanum defensum. Ingressus  
deinde

deinde Romam coram Pontifice & Cardinalibus contra Franciscum Regem graviter conquestus est, quod is exercitum suum ad Mediolanum occupandum duxerit in Italiam, & in itinere Sabaudiam occupavit, Taurinum, aliaque loca expugnavit, veluti jure successionis sibi debitas provincias. Irruit postmodum Carolus cum exercitu Africae domitore in Galliam, sed in ipso ingressu tentata frustra Massiliâ, amissaque magna copiarum parte, in Hispaniam se recepit, interim in Lombardia & Belgio variè inter se pugnantibus utriusque Principis Ducibus.

Indictum est hoc anno Generale Concilium Mantuæ, celebrandum 10. Kalendas Junias anni sequentis, sed hanc urbem merito recusavit Fridericus, impar nimirum ipse huic oneri ferendo, quare sublecta est Vicentia, ac denique Tridentum, ubi demum confectus est ille Confessus, tot votis & toties ab omnibus expetitus.

Eodem anno, Mense Majo habitum est conventiculum Lutheranorum Wittenbergæ, quod ipsi Generale nuncupant, trecentorum ministrorum, ipsomet Luthero tot corvorum parente, præsidium agente: In hoc eodem concordia devenerunt, ut in articulo de Cœnâ Domini aliquâ saltem

tem specie & ad breve tempus conspirarent Martinus Lutherus, & Bucerus cum asseclis utriusque, Magni Duces & Magistri! uterque excucullatus apostata, ille ab instituto Augustinianorum, iste Dominicanorum. Nec diu concordia tenuit, brevi enim ad Zwinglium resiliit Bucerus, & peculiarem sectam suam promovere perrexit, quâ Lutheranos cum Sacramentariis copulavit.

Henricus Rex Angliæ Annam Bolenam superinductam conjugem in adulterio deprehensam ( mortuâ jam anno superiore Catharinâ legitimâ & repudiatâ ) capite plectit, die 29. Maji, superstite ex eâ Elisabethâ, quæ postea ut Jezabel in hæresi regnavit; in Bolenæ autem locum Henricus admisit Joannam filiam Joannis Seymer Equitis, ex quâ Eduardum suscepit, quem in regno successorem habuit.

\*(1537.)\* Solymanus Turcarum Imperator mandat, ut imposterum omnes civitates Græcorum, quæ vi captæ erant, carerent Ecclesiis.

Alexander Medicæus Princeps Florentinus, Caroli V. focer cæsus est à Laurentio Medicæo consanguineo ex insidiis, cum vagas libidines sectaretur Alexander, & Laurentius fingeret ei matronam adducere

cere

cere, quam deperibat. Homicidæ Venetias confugientis atque proscripti caput mox additum est septem millibus aureorum; unde Laurentius ulteriorem fugam Constantinopolim usque capeffivit, veritus autem & ibi, ne à Solymano dederetur, regressus Venetias à duobus militibus interfectus est.

Ferdinandi Regis Hungariæ copiarum magnâ clade afficiuntur à Turcis, Solymanus quoque occupat Moldaviam.

Franciscus I. Rex Galliarum cum Solymano foedus init, ut eodem tempore Franci Insubriam, Turcæ autem Calabriam & Apuliam tentarent; Itaque Aulone (hodie Valona dicta) Barbarossa in Salfentinos solvit cum Lanzino Bassâ, quos secuturus erat mox ipse Solymanus. Sed Franciscus stare pactis non potuit, unde à Turcis contemptus, & à Christianis irrisus est. Barbarossa interim emisso in continentem equitatu totam regionem vastavit, quæ inter Brundisium & Tarentum jacet, multis captivis, omni pecore, & armento abactis; inde in Venetos iram & copias convertit, sed has Corcyra repressit. Carolus omnibus modis Solymanum flectere conatus est.

Aliunde etiam acceptæ sunt geminæ clades

elades in Hungariâ à Turcis, Elisiâ urbe captâ, & ad Esseckum multis Christianorum millibus trucidatis, cum Ducibus omnium nationum, quâ clade vix aliqua turpior & funestior fuit.

Sicilia insolitis motibus intremuit & intonuit per 12. dies, hiatus postea aliqui aperti torrentes igneos emiserunt, obvia quæque toto quatrinduo dissipantes, à quibus Catanenses, opposito S. Agathæ populo liberati sunt, multum inde cineris egestum ex cratere montis Æthnæ, cujus apex cum magno mugitu subsidens, & hiatu ingenti absorptus, finem periculo & timori dedit.

✽(1538.)✽ Paulus III. Pontifex conatus ad concordiam revocare Franciscum & Carolum, licet ætate gravis, Nicæam venit, & Cæsar Monacum, Franciscus Villam-Francam, qui ambo Pontificem salutârunt, sed ut colloquerentur ambo adduci non potuerunt; Tandem tamen, agerente potissimum Eleonorâ, ad *Aguas mortuas* convenerunt ex condicito, & magnâ amoris significatione mutuo complexi sunt.

Concilium Generale Vicentiam, & in anni sequentis Pascha translatum.

Calvinus Genevâ ejectus venit Argentoratum



toratum, & uxorem ducit. Idoletam viduam, ex quâ nullos suscepit liberos.

Henricus VIII, Rex Angliæ suæ crudelitati fræna laxans. Thomam Cantuariensem ex Sanctorum albo expungit, & ossa ejus ex aureâ thecâ gemmis distinctâ infano furore extrahit, atque carnificis manu comburi jubet, cineresq; in ventum spargi, non aliâ de causâ, quam quòd fuisset acerrimus quondam defensor jurium Ecclesiasticorum.

Suscipitur ingens expeditio à Christianis contra Turcas, sed eventus illius expectationi non respondit, unde Veneti à Turcis pacem impetrant, aliquot urbes in finitimis Macedoniae eis cedentes.

✽(1539.)✽ Henricus Rex Angliæ habito Londini conventu Ordinum, multa statuit de religione, nec fidei Catholicæ, nec Novatorum articulis consentanea, simul tamen hæretico deterior omnia monasteria virorum ac mulierum addicit fisco, monachos expellit aut necat, cœnobita disjicit & vendit, Catholicos quoque divites ad ea emenda compellens.

Moritur Georgius Dux Saxonie, Catholicæ religionis in Germania adversus hæreticos propugnator acerrimus, cujus liberi omnes cum ante ipsum decessissent,  
jure

iure sanguinis successit Henricus frater,  
ejus Luthero addictissimus, a quo tam re-  
pentina in ditione fratris facta est mutatio  
religionis, ut cum Lipsiæ in festo Pascha-  
tis d'quissent Catholici ( obiit quippe Ge-  
orgius die 17. Aprilis ) festo Pentecostes  
ibidem Lutherus doceret.

Hoc anno Tibure Nonis Septembris  
Paulus III. Societatem Jesu approbavit, &  
hoc nomine insignivit, & Ecclesiæ Catho-  
licæ ubique locorum gravissimè laboranti  
tanquam subsidiariam cohortem suffecit:  
Priusquam autem diplomate Societatem  
firmaret, institutum ejus Guidicionio ma-  
gno novorum Ordinum inimico commisit,  
quod ille sic approbavit, ut, tametsi alios  
rejecerit, id tamen admittendum esse in-  
genuè Pontifici fateretur. Itaque 5. Kal.  
Octobris anno 1539. diplomate quoque  
Ordo confirmatus est, numero tamen so-  
ciorum tantum ad 60. restricto, & S. Igna-  
tio gubernandus commissus, qui missis per  
Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium,  
Hispaniam, Indiamque fociis, & incredi-  
bili animarum fructu ubique collecto mul-  
tis simul ubique locorum contumeliis &  
calumniis fortiter toleratis, facile brevi  
obtinuit, ut numeri illi tam angusti restri-  
ctio solveretur, cunctis ubique genti-  
bus

E

bus

bus similes viros veluti Apostolos expositis & recipientibus.

✽(1540.)✽ Gandavum urbs Flandriæ patria Caroli Imperatoris movet tumultus propter pecuniam in belli sumptus impositam; Carolus igitur ex Hispaniâ eò perrecturus acceptâ Regis fide, modico comitatu per Galliam terrestri itinere transit, & magno apparatu ubique locorum excipitur, & præcipuè Parisiis, ubi aliquamdiu substitit, & inde in Belgium profectus rebelles acriter edomuit, arte magis, quam armis in urbem Gandavum admissus: noxios supplicio affecit & arcem exædificavit ad urbem frænandam.

Rex Angliæ nunc primum Hyberniam Regem se scribit, cum antea tantum Dominus dictus sit. Idem post obitum Joannæ conjugis quartam ducit uxorem Clevenis Ducis sororem, atque eâ mox repudiata, ac lege lata de solvendis conjugiiis quintam Anglici Sanguinis Catharinam Hawardam dictam superinducit, quam etiam paulò post propter adulterium, & quod ante regium conjugium vitata esset, capite plexit. Ac demum sextam assumpsit Catharinam Parram viduam, & hanc retinuit usque ad mortem non diu post secutam.

DL

## DE JOANNE CALVINO ET CALVINISTIS QUI &amp; PRÆTENTI REFORMATI ATQUE HUGNOSTICI DICTI.

Joannes Calvinus, ut refert primarius Jejus discipulus Beza, nascitur Novioduni in Picardia die 10. Julii anno 1509. ex Gerardo *Calvino*, sive potius *Cauvino*: qui ab Episcopo Noviodunensi beneficium in primis filio suo obtinet in Ecclesia Cathedrali, deinde in pago quodam Urbi Noviodunensi proximo cui *Pontis Episcopi* nomen est, curam pastorem egit. Ex Gallia migravit anno 1534. eodemque anno typis mandavit suam Institutionem Basileæ. Postea in Italiam proficiscitur, & inde Genevam ingreditur, ubi jam Farelus & Viretus suum virus spargebant, illic retentus, & ad suam Theologiam docendam designatus mense Augusto anni 1536. confessionis suæ formulam composuit unâ cum suo Catechismo. Sed ecce, expressum mandatum intra viginti quatuor horas urbe excedendi, hominem Basileam primùm, ac deinde Argentinam exportat: duxit ibi uxorem viduam Idelettam Burzæam, quâ anno 1547. sine liberis extinctâ, viduus annos sedecim, nimirum usque ad mortem permansit. In-

terea tamen Genevam revocatus anno 1541. Ordinem instituit ac disciplinam quæ ibi jam exinde observatur. Ultimam suam Institutionem scripsit anno 1559. & Gallicè quidem; tandem calculo laborans, ac Podagra, Hæmorrhoidè, Phtisi, Asthmate hemicraniâ, Sanguinis excreatione animam exhalat, die 27. Maij anno 1560. hærede Instituto fratre suo Cauvino, cui nihil nisi pateram reliquit: ita Beza de suo Magistro Calvino, qui valde studiosè cavere ne facinus illud proderet, quod Liliatum Calvinum Gallix finibus egredi compulsi, uti refert Hieronymus Bolsecus, neque recenset Beza supra scriptam nominis mutationem, quâ se Novioduno exiens ex Cauvino Calvinum fecit: ut idem Bolsecus asserit, addit insuper Calvinum aliquamdiu se nominasse Carolum Heppæum, sive Happevillæum, & sic suas litteras commentitias subscripsisse quem admodum etiam ad liberiores suis erroribus sternendam viam, nomen suum anagrammaticè cum Alcuini Præceptoris Caroli Magni nomine commutavit, quod etiam initio nonnullis suis scriptis præfixit. Omisit etiam Beza horribile illud genus mortis, quo Calvinum sublatum dixere qui illi ad ultimum usque spiritum

mini-

ministrârunt, ut idem Bolsecus observat, utpote non modo pediculis ac vermibus, toto corpore corrosum, præcipuè autem in verendis, quibus fædissimum ulcus inerat, sed quod longè deterius est, Dæmones invocantem, jurantem, stomachantem, execrantem, maledicentem horæ, quâ unquam studuerat, aut scripserat. Docuit autem sequentes errores.

1. Fidem non esse unum, neq; unam futuram usq; ad consummationem sæculi.

2. Fidem semper esse incredulitate permixtam.

3. Fidem cum dubitatione & incertitudine semper esse conjunctam.

4. Sæpenumerò, imò & semper fidem erroribus esse permixtam.

5. Fidem simplicem & implicatam non esse nisi commentum & crassissimam ignorantiam, veram autem fidem exigere claram cognitionem.

6. Fidem non aliud habere objectum, aliudque scopum, quàm bonitatem Dei, & indubitatam specialis singulorum fidelium salutis promissionem, integramque fidei definitionem in eo sitam esse, ut certò credam, me salvum futurum.

7. Fidem esse non posse sine spe, imò fidem nihil aliud esse, nisi spem & fiduciam.

8. Scripturam solam ita saluti sufficere, ut rejiciendum sit omne verbum non scriptum, quod Catholici vocant Traditionem.

9. Ex

9. Ex Scripturâ eradendum esse librum Tobie, Judith, partem Esther, Sapientiam & Ecclesiasticum, Prophetam Baruch, pariter Danielis, & libros Machabeorum.
10. Veteris Testamenti solum textum Hebraicum esse authenticum, non autem aliam versionem.
11. Solum textum Græcum novi Testamenti esse authenticum, non autem aliam ullam versionem.
12. Scripturam sacram non esse ex se certam, neque erroris expertem.
13. Valdè dissonè præcedenti errori docet alibi Scripturam sacram esse ex se claram, & facilem intellectu.
14. Particularis cujusque fidelis judicii esse Scripturam interpretari, & fidei controversias dirimere; ita ut necesse non sit ad Ecclesiæ determinationem recurrere, quin etiam unicuique licere tum Ecclesiæ definitiones, tum decreta examinare, ac censurâ notare.
15. Fidem non infundi nisi electis & prædestinatis.
16. Fidem nunquam posse amitti.
17. Homines solo & nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinari.
18. Deum aliquos creâsse, ut peccarent, & æternum damnarentur.
19. Deo

19. Deum esse auctorem peccati, & quidem  
omnis peccati.
20. Deum non esse absolutè omnipotentem.
21. In essentiâ Divinâ esse distinctionem  
realem.
22. Deum Patrem genuisse suum Filium, &  
Spiritus S. quia voluit.
23. Filium Dei non generari continenter à  
Patre suo æterno.
24. Sanctissimam Trinitatem minimè invo-  
candam esse.
25. Jesum Christum non esse propriè Crea-  
torem cæli & terræ.
26. Filium Dei non esse Patri æqualem.
27. Filium Dei non accipere essentiam à  
Patre.
28. Christum Dominum secundum naturam  
humanam fuisse ignorantem.
29. Jesum Christum ita personam nostram  
suscepisse, ut peccator fuerit, maledictionis reus.
30. Non esse credendam perpetuam B. Ma-  
riæ Virginis integritatem ac virginitatem.
31. Eandem B. Virginem multorum pecca-  
torum esse ream.
32. Ea omnia, quæ ad Mediatoris officium  
spectant, de utrâq; simul natura dici.
33. Jesum Christum recusâsse ac effugisse  
quoad potuit officium redemptoris.
34. Jesum Christum tempore suæ passionis  
fuisse



fuisse inquinatum, affectu vitioso obstupefactum, caligine offusum, implicitas & perplexas, minimeque rectum & equabilem cursum tenentes preces fudisse, alternis votis quasi vacillantem, unum subito elapsam castigantem, presenti celsis decreti memoria privatam, &c.

35. Christum de animæ salute timuisse.

36. Imò eò dejectum fuisse, ut desperaverit.

37. Christum damnatum fuisse, & aliquamdiu damnatorum tormenta perpeffum.

38. Jesum Christum nihil esse promeritum, habitâ ratione divini judicii, ac ne sibi quidem.

39. Jesum Christum non descendisse verè ad inferos, sed ejusmodi descensum esse de sepultura intelligendum.

40. Non aliter Christum descendisse ad inferos, quàm diros damnatorum cruciatus in Crucis patiendò.

41. Nullum fuisse limbum Patrum, qui sinus Abrahæ dicatur.

42. Nullum esse Purgatorium.

43. Pro defunctis preces non esse fundendas.

44. Neq; ullum esse damnatorum infernum, sive hominum, sive demonum.

45. Damnatorum tum hominum, tum demonum tormenta in diem usq; generalis judicii differri.

46. Jesum Christum à mortuis resuscitatum, neque ex sepulchro clauso egressum, neque ad Discipulos januis clausis ingressum esse. 45.

47. Christi Domini ascensionem in caelum non esse intelligendam secundum locum, sed tantum secundum rerum creatarum dominatum.

48. Nullum esse futurum iudicii diem.

49. Spiritum S. esse Ministrum Sacramentorum.

50. Spiritum S. non accipere essentiam à Patre.

51. Ecclesiam non continere nisi sanctificatos, eosque electos tantum & praedestinos.

52. Soli Deo cognitam esse suam Ecclesiam, cujus fundamentum est arcana illius electio, adeoque invisibilem esse nobis.

53. Ecclesiam esse obnoxiam erroribus.

54. Defectibilem esse, & defacto defecisse Ecclesiam.

55. S. Petrum non fuisse Apostolorum Principem, neque Ecclesiae Caput.

56. Romanum Pontificem non esse Petri in Ecclesiae gubernatione successorem.

57. Pontificem Romanum esse verè Antichristum.

58. Nullum esse Ordinis discrimen inter Clerum & ceteros Christianos.

59. Ecclesiam non posse leges condere, quae conscientiam obligent, neque decreta ejus & statuta observanda esse.

60. Statum monasticum & Ordines verò Christianismo repugnare.

61. *Damnanda esse vota religiosa, & permittendum, imò præcipiendum esse cuilibet, ut ea videt.*

62. *Mendicitatem religiosam esse inventum diaboli.*

63. *Nullam hominum dominationem etiam temporalem, esse à fidelibus admittendam.*

64. *Homini nullum inesse liberum arbitrium ad bene operandum, & fugiendum peccatum.*

65. *Concupiscentiam ex se, id est, primum motum, qui consensum antecedit, esse peccatum.*

66. *Nullum esse discrimen inter peccata mortifera & venialia, imò omnia esse mortifera.*

67. *Peccata nunquam reipsa deleri, sed extrinsecus tantum tribui per imputationem Jesu Christi.*

68. *Hominem sola fide justificari, absq; operum bonorum subsidio.*

69. *Fidem à charitate ac bonis operibus divelli non posse.*

70. *Fidelium opera secundum Dei judicium, hoc est, in se & in rei veritate esse peccata, & quidem mortifera, qui error planè dissentaneus est superiori.*

71. *Fideles posse ac debere credere, se esse justos, & in gratiâ Dei constitutos, in eâque perseveraturos.*

72. *Fideles item posse ac debere credere, se salvandos esse, imò tam securos ac certos esse de*  
salu-

salute, quàm ipsum Christum, imò Christo ipso mortali certiores ac securiores esse.

73. Non esse corporum resurrectionem,

74. Fidem manere in Beatis.

75. Beatorum gloriam procrastinari usque ad ultimum diem iudicii, & nullum esse paradisi locum, in quem Beatorum animæ à corporibus solutæ transferantur.

76. Nullam esse sperandam bonorum operum mercedem.

77. Superstitiosam esse & interdictam à Deo orationis protractionem, atque iterationem.

78. Cantus Ecclesiasticos Deo summopere displicere.

79. Publicas orationes populari sermone habendas esse,

80. In tribus primis petitionibus Orationis Dominicæ nec peti, nec quicquam pro nobis petendum esse.

81. Fidem esse charitate nobiliorem.

82. Primam Christianæ libertatis partem esse, ut fidelium conscientia, dum fiducia suæ coram Deo justificationis quærenda est, sese supra legem erigant & efferant, totamque legis justitiam obliviscantur.

83. Nihil inesse meriti in bonis operibus, aut observatione divinorum mandatorum.

84. Imò impossibilem esse divinorum mandatorum observationem.

85. Sanctorum venerationem respectivam, invocationemque subalternam esse idololatriam.
86. Similiter cum idololatria conjunctam esse SS. reliquiarum venerationem.
87. Idololatriæ etiam incusandum esse usum ac venerationem S. Crucis, aliarumque imaginum, eaq; idola esse.
88. Usuram non esse omninò damnandam.
89. Fejunia Ecclesiastica statutis temporibus prorsus contemnenda esse.
90. Duo tantum esse Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam.
91. Ecclesiæ Christianæ Sacramentis nullam insitam esse à Deo virtutem justificandi, & gratiam conferendi.
92. Baptismum ad salutem non esse necessarium, & fidelium liberos jam in utero sanctificari.
93. Confirmationem non esse Sacramentum.
94. In Eucharistiâ non esse verum Corpus & Sanguinem Christi, sed tantum significari aut figurari.
95. Pœnitentiam de Sacramentorum numero delendam esse.
96. Extremam Unctionem non esse Sacra-
97. Neque Ordinem, (mentum,
98. Neque Matrimonium,
99. Ridiculos esse Ecclesiæ exorcismos & supersticiosos,
100. Aquam benedictam effundendam & abominandam. Qui

Qui loca & textus singulos desiderat, in quib<sup>9</sup> Calvinus errores enumeratos docet, inspiciat Gualterium in suâ Chronologicâ Collatione veterû errorum cum novis Calvinianæ sectæ, ubi operosè collectos inveniet.

DE EFFRONTIBUS.

**E**ffrontes, de quibus Florimundus Raymundus, suam sectam in tribus præcipuè erroribus fundabant.

1. Frontem sibi ferro abradebant, donec inde sanguis emanaret, postea verò oleum affundentes, se Christianos absq<sup>ue</sup> ullâ aliâ baptismi formâ pronuntiabant.

2. Spiritum Sanctum ajebant esse elevationem quandam aut motionem, quæ in animâ à Deo inspirata persentitur.

3. Idololatriam esse adorare Spiritum Sanctum, quia de hac re nihil in Scripturis.

DE JOANNE SPANGENBERGERO.

**E**st hic quidam surculus Lutheranismi, qui anno 1536. in lucem prodiit, tribus potissimum articulis fides ejus conflata erat.

1. Nihil ajebat interesse discriminis inter concilia & mandata.

2. Bona opera non meritoria esse, neque ad vitam aeternam necessaria.

3. Neminem posse justificari, qui se non credat justificatum esse, eoquòd illa fides ei desit, quæ esset poenitentiae pars, fiducia scilicet, quâ cre-

dit unusquisque peccata sibi gratis propter Christum remissa esse.

DE MICHAËLE SERVETO, SERVETIANORUM PARENTE.

**M**ichaël Servetus Hispanus suam promulgavit hæresin anno circiter 1539. Jactabat se, dum esset annorum 25. universi Orbis terrarum Prophetam; In Africam profectus & Alcorani deliramentis imbutus libros exaravit, qui Christianam religionem in Mahometismum transformerent. Sex præcipuè errores effutiebatur.

1. Unam tantum in Deo Personam credebatur, more Sabellianorum.

2. Negabat cum Eutychete, in Jesu Christo duas esse naturas.

3. Negabat Spiritum Sanctum tertiam Divinam Personam.

4. De peccato & justificatione planè Pharisæicè loquebatur.

5. Infantum baptismum detestabatur, quem ad annum usque tricesimum differri volebat.

6. Creatorem denique cum creaturâ ita confundebatur, ut doceret, Deum in lapide esse verè lapidem, & in trunco esse propriè truncum.

DE UBIQUETARIIS, SIVE BRENTIANIS, JOANNIS BRENTII DISCIPULIS.

**J**oannes Brentius Semi-Lutheranus anno circi-

circiter 1540. vexillum suum erexit : docuit sequentes errores præcipuos.

1. Tametsi admitteret, baptismo deleri peccatum originis, agebat nihilominus, non omne peccatum baptismo deleri, videlicet concupiscentiam, quam peccatum esse autumabat.

2. Evangelium, si propriè loquendum sit, non esse legem, sed tantum bonum, jucundumq; nuncium.

3. Cum Transubstantiationis doctrinam ferre non posset, veram tamen ac realem Christi in Eucharistiâ præsentiam tueri vellet, novum præsentie realis modum finxit, & dixit, Jesu Christi Corpus, ex quo tempore in cælum ascendit, esse ubiq; quo factum est, ut Brentiani Ubiquetii, vel Ubiquetarii appellarentur.


DE CAROLO MOLINÆO.

PRæstitisset, ut Carolus Molinæus Juris-Prudentiæ tractatione contentus fuisset, & hîc inscribi non debuisset. Inter alios enim errores ausus etiam est hunc asserere, à nascente Christo Jesu Virginis Mariæ uterum referatum esse. Unde merito Jovinianista proclamari promeruit.



DE-





## DECAS V.

✻ (Ab anno Christi 1540. ad 1550.) ✻

1541. **P**rotestantes urgent in Comitibus Ratisbonensibus ut Cæsar motas de religione controversias audiat, si non etiam decidat, sed is ad Concilium Generale eos rejecit, fortiter interim Eckio aliisque Catholicis doctoribus Melanchton sese opponentibus.

Ferdinandus suum jus urgens in Regnum Hungariæ Budam obsidet, capto jam Pesto. Adveniens autem Solymanus obsidionem solvit, Ferdinandum magna clade affecit, & Pestum Budamque occupavit, viduamque Waiwodæ unâ cum filio in Transylvaniam ablegavit, Carolo fratre Ferdinandi alibi occupato.

Instituitur Ratisbonæ colloquium inter Eckium & Melanchtonem, cui etiam Calvinus interfuit, sed absque fructu & utilitate, Pertinaciâ prævalente contra veritatem licet agnitam. Permissum tunc est a Carolo, ut certa quædam credendi formula conscriberetur cui interim adhærere possent, quæ etiam hoc nomine dicta postmodum est *Interim*.

Dum

Dum Solymanus Hungariam infestat, & Ferdinandum repellit, Carolus Imperator & frater Ferdinandi Algerianam expeditionem suscipit & ad Juliam Cæsaream Alger 10. Kal. Novemb. appellit cum 22. millibus peditum, & mille equitibus. Capta fuisset civitas, in qua vix 800. Turcæ & totidem Mauri, sed tempestates & aëris inclementia obstiterè qua multi sublati, & 130. naves, 15. triremes omnes lembi perière. Itaque re infectâ Carolus in Hispaniam se recipere compulsus est.

S. Franciscus Xaverius à S. Ignatio mittitur in Indiam, & Calvinius revocatur Genevam.

✽(1542.)✽ Expeditio ingens 62. millium armatorum ad recuperandam Budam mittitur Duce Joachimo Electore Brandenburgico, negligentia autem Ducum accidit, ut tam numerosus exercitus partim profligatus, partim Contagione ad nihilum fuerit redactus, Luthero editis libris bellum contra Turcas dissuadente.

Concilium Generale à Paulo III. Pontifice Tridentum indicitur, reclamantibus iterum Protestantibus, neque rem neque locum optantibus.

Galli conatu irrito Perpinianum obsident, & Turcam in auxilium evocant.

Fran-

Franciscus I. per quinque exercitus bella spargit in ditiones Caroli V. parvo & ferè nullo operæ pretio, quæ si fuissent simul conjunctæ vires tot sumptuum fructum fortasse recepisset. Cum enim Franciscus omnia ad pompam peragens nimis multa ageret, nihil ferè egisse videbatur, cum econtra Carolus fermè immotus moveret & perageret plurima.

✱(1543.)✱ Carolus V. & Franciscus etiam anno hoc bellum continuant, & Franciscus quidem Turcicam classem atq; Barbarossam evocat, ut ejus operâ Nicæam Ligurum expugnaret, quod etiam is exequitur: Arx tamen fortissimè restitit, & Turcarum & Gallorum assultus elusit. Interim Turcæ factis excursionibus magnam Italiæ partem fædè devastant: & hæc est Christianorum Principum cum Turcis armorum societatis initæ utilitas.

Concilium Tridentinum suspenditur, & Pontifex Franciscum ac Carolum reconciliare nititur. Quando etiam Carolus V. cum Henrico VIII. pacem & amicitiam iniit.

Hermannus Comes de Wada Archiepiscopus Coloniensis apud suos de fide suspectus, à Capitulo accedente Pontificio & Cæsareo decreto deponitur & omnis eidem tam politica, quam Ecelesiastica admi-

administratio, frustra renitentibus Lutheranis Confœderatis, aufertur.

✽(1544.)✽ Solymanus Hadrianopoli progressus in Hungariam Strigonium proditione, Albam Regalem (ubi vetustorum Regum sepulchra erant) vi capit, Quinque Ecclesias evertit, & Walporiam aliaque insignia Hungariæ loca occupat & munit, atque Constantinopolim regreditur. Alibi quoque Barbarossa à Francisco evocatus iterum Christianos Cæsarianos vexat, Pontificiis autem non obest, Francisco sic optante, & præscribente Polino Gardiâ, cujus opera Turcus evocatus erat.

Comitia spiræ celebrantur verno tempore, præsentibus Imperatore ejusque fratre Ferdinando, & Electoribus omnibus, & Carolo auxilia contra Franciscum & Ferdinando contra Turcas cum ingenti pecuniæ summa conferentibus.

In Svecia solemnibus Ordinum Comitibus regnum illud declaratur hæreditarium, daturque Gustavo & Posteris ejus, legitimo ordine & jure primogenituræ observato.

Franciscus Borbonius Anghidianus celebrem victoriam refert ad vicum Cerisolas à Cæsarianis, quos ducebat Alphonfus Danalus marchio Vasthi die 14. Aprilis  
feriâ

feria secunda Paschatis pugna inita, qua vulneratus Danalus fugere compulsus suorum duodecim millibus caesis, quingentis captis. Videbatur tum tota Insubria potiturus fuisse Anghinius, nisi a Francisco Rege impeditus esset, quo minus Mediolanum aggredereetur. Neque insipienter id factum: Anglus enim Picardiam, Carolus Campaniam tentabant octoginta peditum, viginti equitum millibus & geminis castris, qui tamen apparatus parum nocuit Francisco; Unde & Carolus in pacem propendere cepit, quae etiam praeter omnium expectationem inita, multum licet Henrico Delphino reclamante, urgente autem & praevalente apud Franciscum Anna Piselenâ Stampensi nobili Scorto Imperatori tacite favente, quae Regem in haec consilia adduxit. Vi hujus pacis omnia restituta sunt ex utraque parte, quae hoc bello occupata fuerunt: ab ea tamen exclusus fuit Henricus Angliae Rex, qui hoc tempore Bononiam in Morinis caeperat.

Rem Christianam egregie promovebat Xaverius in Oriente, quando & Regis Ceylani filius factus Christianus cum multis suis subditis ab ipso parente pro vera religione caesus numerum Martyrum auxit,

xit, cuius mortem placuisse Deo ignea  
cruce in cœlo visa ostendit.

✱(1545.)✱ In Comitibus Wormatiensibus Carolus Cæsar urgente Pontificis legato, Alexandro Farnesio statuit Sectarios stare debere iudicio Concilii Tridentini, mox celebrandi: sed incitante novis libris Lutero Protestantes id præstare recusant, & arma contra Cæsarem parant. Pontifex e contra in itâ jam pace inter summos Christianos Principes, Concilium unicè urget, & efficit, ut sub finem hujus anni inchoaretur. Cujus proinde initium datum est decimo tertio Decembris Tridenti, quod tam diu ac toties à bonis expectatum est.

#### INITIUM CONCILII TRIDENTINI.

**D**iploma de Concilio die 13. Decembris aperiendo venit Tridentum die undecimo ejusdem mensis & cum illo quædam ad Legatos mandata. Igitur Legati mox eodem adhuc die præscripserunt ut die sequenti jejunium servaretur, & supplicationes instituerentur ad Divinum auxilium implorandum, postquam præfixus solennitati dies illuxit, contulerunt se præsentibus omnes ad Templum Augustissimæ Trinitatis, ibi vestes Pontificales induerunt, & decantato Hymno de S. Spiritu  
pro-

procefferunt agmine composito ad Cathedralē Ecclesiam S. Vigilio sacram. Præibant Ordines Regularium, quibus successerunt Canonici cum reliquo Clero, Sequebantur Episcopi, post hos veniebant Legati, quos pænè comitabantur Oratores Regis Romanorum. Operatus est ibi Solenniter Sacris Legatorum Primus (erant autem Legati tres Cardinales a Pontifice missi, qui vices ipsius agerent, & Præsides essent, donec ipse, sicut volebat, accederet, Joannes Maria Montanus, Marcellus Cervinus, Reginaldus Polus, viri tam undequaque præstantes, ut duo priores fuerint etiam ipsi successu temporis ad Pontificatum evecti, tertius autem ad eundem non paucis eligentium votis destinatus. Post Missarum solennia largitus est omnibus præsentibus, & certas preces ad augmentum Ecclesiæ recitantibus Indulgentiam plenariam. Tunc Latinè peroravit Episcopus Bisuntinus Cornelius Mussus, Ordinis S. Francisci: subjunxit Legatus ex Rituum Formâ varias preces, terque bene precatus est toti Synodo; denique more Litaneutico suffragia Sanctorum invocata.

Posthæc confederunt Patres, ad quos Legatus primus perbreve[m] ex memoriâ dictam

dictam admonitionem habuit, tum diploma, quo Pontifex iussit aperire Concilium, ipse prælegit. Auditus est postea, quem Mendoza Cæsareus Orator, Venetiis æger decumbens miserat ad excusandam absentiam, & lectum Cæsareum mandatum; deinde à Legato rogati Patres, an placeat habere Concilium ut legitimè apertum? ac rursùm, an placeat proximam Sessionem, cum per ferias Natalitias aliter fieri non possit, celebrare primo die post Epiphaniam? audito verbo *Placet*, Concilii Promotor petiit in acta referri, & Hymno Ambrosiano actæ Deo gratiæ. Post hæc depositæ vestes Pontificales, & Legati præeunte cruce in ædes suas reversi sunt, cunctis Patribus comitantibus.

Interfuerunt memoratæ solemnitati præter tres Legatos Cardinalis Tridentinus, Archi-Episcopi quatuor, Episcopi viginti, Generales Regularium quinque, unus Auditor Rotæ Romanæ, & Oratores Ferdinandi Regis Romanorum, cum Theologis plurimis, aliisque ad Concilium pertinentibus & invitatis, quorum numerus per sequentes Sessiones postmodùm auctior semper & auctior comparuit, ex tam diffitis regionibus aliis & aliis indies confluentibus.



✠(1546.)✠ Lutherus, postquam engumenum à dæmone liberare conatus esset, exorcismis à se compositis, & clausâ sacrarii janua, ut refert Staphylus ejus discipulus, malè ab eo mulctatus, & fædè valde angustiatus esset, paulò post vesperi bene potus ac hilaris decumbens, manè gutture tumente mortuus reperitur, in originis suæ domicilio: funestissimâ libitinâ Eislebii mundo denatus die 18. Februarii hoc anno, in quo infausta Lucina natus erat: ut eadem scilicet mater hoc monstrum hominis, quod peperit, suo rursus in utero contumularet.

Carolus Cæsar Ratisbonæ Comitia indicit, ad quæ tamen plerique Protestantes Principes venire renuunt, & Cæsari bellum indicunt, conscriptis septuaginta peditum, & equitum quindecim millibus, cum 120 tormentis bellicis: quorum præcipui Duces fuerunt Fridericus Dux Saxonie Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius; qui dum bellum non satis concordibus animis gerunt, Imperator occasionem & tempus nactus militem copiosum conquerendi, & à Pontifice Paulo missis duodecim millibus Duce Octavio Farnesio, Belgicis etiam, Hispanicis, & Germanicis copiis instructus, facile eorum machinationes &

viii

vim infregit & contempsit, ut fierent omnibus ludibrio, præsertim quando sapienter Electorem Saxonem comprehensum in gratiam recepit, reliquos ad pacem duris conditionibus compulit, qui antea de eo exauctorando cogitabant.

Henricus VIII. cum Francisco I. pacifici cogitur, redditâ prius Bononiâ cum omnibus tormentis & comœatu, quâ pace etiam Scoti conclusi fuerunt, qui inter se atrocius tumultuati sunt, quando David Cardinalis Betonius, Archi-Episcopus Santandreasus cæsus est, & habitus Martyr, ejusque percussores omnes hominibus & Deo pœnas graves dependerunt.

\*(1547.)\* Concilium Tridentinum jam sedulo, promotum, & octo Sessionibus celebratis propter litem exortam Bononiâ transfertur; jamque ibi duabus habitis Sessionibus denuò interrumpitur propter necem Petro Aloysio Duci Placentino, & Pontificis filio illatam ab inimicis, qui mox audaciores facti, ipsam Placentiam à Ferdinando Gonzagâ Vasthii successore occupatam, aliaque plura loca suæ potestatis fecere; unde Pontifex tantum hausit doloris, ut Concilium suspenderet.

Interea bellum, Smalkaldicum dictum, superiore anno à Protestantibus inceptum

F

pro-

prosperè gerebatur à Carolo; nam Dux Wittenbergicus, qui maximè petebatur, persolutis 300. millibus aureorum reconciliatus erat, & ejus exemplum multæ civitates sequebantur. Supererat Saxoniz Elector, victoriis ferox, Mauritio patruelle suo omni suâ ditione spoliato, quare in eum toto belli impetu converso, & principio Albi fluvio propè per miraculum superato, Carolus cum Ferdinando, aliisque Catholicis ad Mulbergam irruit, & grandi prælio novem horarum fudit, ipsumque vulneratum cepit, cum omnes boni Ducis ac militis partes strenuè obisset. Captus est cum eo quoque Ernestus Brunswicensis, & ambo dati in custodiam, Saxo etiam nonnihil duribus à Cæsare acceptus. Multa de hac victoriâ narrantur, ac memorabile imprimis illud, castra Cæsaris grandem aquilam supervolitasse, & nebulam adventum Caroli Saxonibus velasse sole omninò pallido. Victoriâ factâ dixit Cæsar: *Veni, vidi, & Christus vicit*. Pronunciata est postmodum à Cæsare sententia capitis in Saxonem, quam tamen remisit, Electore Brandeburgico & Clivensi pro affine suo deprecantibus. Exutus tamen est Electoratu suo Saxo, isque datus Mauritio fratri ejus, arcibus insuper

Wit-

Wittenbergâ & Gothâ spoliatus, indictâ etiam grandi pecuniâ, & bonis ejus inter Ferdinandum & Mauritium divisis. Tot tamen malis afflictus & attritus Saxo nunquam Concilio Tridentino acquiescere voluit, quæ causa potissima erat belli Smalkaldici.

Hac victoriâ laureatus Imperator triumphans & armatus Augustam præcipuam Smalkaldici fœderis urbem ingressus, Comitia inchoavit, in quibus Catholica fides erecta, & hæresis depressa est.

Coloniæ quoque suffectus est in locum Hermanni hæretici Archi-Ebiscopi Adolphus. Tandem etiam Landgravio Hassiæ iisdem deprecatoribus venia à Cæsare impertita est.

Quinto Kal. Februarii obiit Henricus VIII. Angliæ Rex, anno ætatis 57. regni 39. ex nimia pinguedine. Statuerat Ecclesiæ reconciliari, sed parasitorum & aulicorum turba, quos sacris bonis locupletarat, impedivit; sumpsit tamen Catholico more Eucharistiam, hæredesque instituit, primò Eduardum ex Semeirâ filium, deinde Mariam ex Catharinâ, denique Elisabetham ex Annâ Bolenâ; filio autem adjunxit 15. tutores, omnes ferè Catholicos, & hunc in Catholicâ fide vo-

luit erudiri, sed Primatum Ecclesiæ retinere: At enim ex iis tutoribus Eduardus Herefordiæ Comes, frater Semeiræ Zwinglianus jus omne sibi arrogavit, & hinc favente Granmero Archi-Episcopo Cantuariensi inducta est hæresis in Angliam per Hugonem Latimerum Anglum, facetum concionatorem, Petrum Vermilium Martyrem, Bernardinum Ochinum, Capuccinorum quondam Generalem, tunc nequissimum apostatam. Et quidem his hominibus debet Anglicana Pseudo-Religio sua exordia: Porrò Henricus moribundus vinum ciatho inverso effundens ingemuit, & dixit: *Amici! omnia perdidimus: vitam, existimationem, animam, & cælum.* Post quæ verba expiravit.

Mortuus est eodem anno Franciscus I. Galliarum Rex ex febris continuâ, omnibus Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, anno vitæ 52. regni 32. *Litterarum Parens* vulgò appellatus. Vir sine dubio magnanimus, sed ineptis simul amoribus implicatus, quibus subinde magis, quàm regno attendit & concessit, unde etiam magnas clades expertus. Successit ei filius Henricus II. annos natus duodetriginta.

Mortuus est quoque Constantinopoli Hariadenus Anobarbus, seu Barbarossa.

Tur-

Turcicarum navium Præfectus, & Algeri Rex, successorem relinquens filium Hafanem, patre tantum fortitudine, quantum ætate inferiorem.

Obit etiam in novo Orbe Ferdinandus Cortesius Mexici domitor, & conditor novæ Hispaniæ.

✱(1548.)✱ Moritur Sigismundus Rex Poloniæ octuagenario major, succedit eidem Sigismundus Augustus, filius ultimus ex familiâ Jagellorum.

Maria Regina Scotiæ sexennis, invitæ Anglis ducitur in Galliam, desponsanda Delphino, propter quam bellum ortum inter Anglos & Scotos, illis Mariam pro Eduardo suo uxorem volentibus.

In Angliâ sævitur in Catholicos, abolitâ Missâ, inductâ Calvinî sectâ, quæ postmodum in alias varias divisa est.

Moschus per Legatum ad Augustana Comitiam missus, foedus inicit cum Cæsare contra Turcas. Eodem venit Muleasses à Præfecto Golettæ Francisco Thouvarro Hispano gazâ suâ spoliatus, mortalium infortunatissimus, cui Barbarossa regnum, Amida filius visum, Thouvarrus bona eripuerat. Remisit eum Cæsar in Siciliam, ut publicis ibi sumptibus aleretur, & de Rege fieret nobilis mendicus. In iisdem Co-

mitiis Augustanis Mauritius creatus est Elector, & in loco, unde ceremonias spectare posset è fenestrâ Joannes Fridericus exauctoratus, quas tamen sine ullo animi motu aspexit.

Maximilianus filius Ferdinandi fratris Caroli V. uxorem ducit Mariam filiam Caroli.

Burdegalæ horribilis excitatâ est seditio propter vectigal impositum salinis, quam dum comprimere nititur Tristanus Monenius Vicarius Henrici Regis Navarræ, unguibus populi laceratus & sale conditus est miserabilis salinator. Missus eò statim ab Henrico II. Annæus Comestabilis cum Guisio & exercitu, per muri labefacti partem subiit, auctores sustulit, urbis omnia privilegia extinxit, cadaver Monenii unguibus præcipuorum civium effodiendum curavit, & sepeliendum ab universo populo cum facibus, vociferante coram Comestabilis domo, *improbè se fecisse.*

Condita est Augustæ nova formula quædam, quâ 26. capita continebantur de modo vivendi circa religionem usq; ad Concilii definitionem, dicta *Interim*, nec à Catholicis probata, nec ab hæreticis omnibus sed tantum aliquibus recepta; unde triplicis generis Interimistæ mox orti: Cæsarei

rei Catholici, Lipsici Lutherani, & Franci Calviniani, omnes adiaphoristis merito adnumerandi. Sic contingit, quando Principes sæculares de Ecclesiasticâ potestate plûs æquo sibi arrogant.

\*(1549.)\* Agitatur Anglia intestinis tumultibus ob violatam avitam religionem hæreticis in eam ingressis, Paulo Fagio, Martino Bucero, & Petro Martyre, ut ibi perfidiæ suæ sementem facerent.

Theodorus Beza Clericus libidinosus, & omni turpitudine infamis Genevam ad Calvinum profugit.

Moritur Paulus III. annos natus 82. egregiè suo Pontificatu perfunctus annis quindecim, quibus sedit: Vacavit post hunc Sedes ferè tribus mensibus.

Franciscus Xaverius penetrat in Japoniam.

\*(1550.)\* Die 7. mensis Februarii Summus Pontifex renunciatus est ex Episcopo Cardinali Prænestino Joannes Maria de Monte, ex Dicecesi Aretinâ oriundus, sed natus Romæ, qui nomen suscepit Julii III. & mox Jubilæum celebravit, totusque in Concilium celebrandum incubuit.

Imperator Carolus Comitia celebrat Augustæ, & Philippo filio ibidem præfenti



Imperium asserere cupiens, reluctantes sensit tum cæteros Electores, tum ipsum fratrem Ferdinandum, jam Regem Romanorum renunciatum, & in filium Maximilianum ex Hispaniâ reducem jam Bohemix Regem charitate propensiores. Actum præterea his Comitibus de bello contra Protestantes iterum parere recusantes, Mauritius quoque ab Imperatore nihil jam ultra exspectans, invidiam omnem in hunc derivare conabatur.

In Anglia morbus pestilens, & incognitus Medicis grassatur.

In Carinthia inter Villacum & Clagenfurtum frumento pluit, ex quo panis optimus confectus est, ac ipsi Cæsari oblatus.

Tolosæ crematur quidam ex Novatoribus, qui se S. Joannis Evangelistæ spiritum habere jactabat: Visus est etiam Parisiis ac Basileæ alius, qui se ab Angelo S. Petri dirigi dicebat: Et alius ab Angelo Mosis; Adeò hoc sæculum spiritus privati vertigine agitabatur.

#### DE PETRO MARTYRE.

**P**etrus Virmillius Florentinus, qui Martyris sibi nomen arrogavit, ex Canonico Regulari factus est Sathanæ tubicen anno 1549. Cujus errores fuere præcipui:

1. *Non posse Deum efficere, ut Jesu Christi corpus*

corpus in pluribus simul locis existeret. Cate-  
 rium Sacramentarius quidem fuit, fide tamen à  
 Calvinismo discrepabat, quia auditis in Possia-  
 censi colloquio Calvinii ministris asserentibus, JE-  
 su Christi corpus realiter in Eucharistiâ sumi,  
 licet realiter in eâ non existat, contrarium cum  
 exclamatione testatus, scilicet neq; illud in Eu-  
 charistiâ esse realiter, neq; in eâ realiter accipi:  
 Hinc putant multi, propinato veneno à Calvi-  
 nistis fuisse extinctum eo ipso tempore, quo se ad  
 Brentium Ubiquetariorum Parentem, & ad præ-  
 dictam realem absq; reali existentiâ susceptionem  
 ab Hugonosticis in vectam refutandam accinge-  
 bat, quod factum est anno 1562. mense Novembri.

#### DE SEBASTIANO CASTELLIONE.

Ludimagistrum Genevæ egit, qui teste ipso Be-  
 zâ rem indifferentem ducebat, eam religio-  
 nem sequi, quam quisque voluerit.

Præterea sentiebat cum Anabaptistis, Canti-  
 cum canticorum ajebat esse colloquium vel can-  
 tilenam profanè amatoriam atque impudicam  
 Salomonis cum quadam suâ amasiâ, adeo ut te-  
 ste eodem Bezâ palàm illud jusserit ex Canone  
 eradi non sine atrocibus in eos convitiis, qui ob-  
 nitebantur.

#### DE JOANNE ALASCO, ALASCA- NORUM PROGENITORE.

Joannes Alasco Polonus, ex Barone & Epi-  
 scopo factus est Lutheranus, & ex Lutherano

Sacramentarius Zwinglianus anno circiter 1549  
Duos præcipuè errores sparsit.

1. Sacramentalia augustissimæ Eucharistiæ  
verba: Hoc est Corpus meum, per duode-  
cim falsas expositiones corruptit.

2. Baptismum prorsus rejecit causatus, in  
idololatriam eum conversum esse

In Angliam aufugit circa annum 1555. ubi ad  
Eduardo Rege illud obtinuit, ut peregrinorum  
Ecclesiæ præesset; animam efflavit mense Janu-  
ario, anno 1560.

#### DE HENRICO BULLINGERO,

Circa eundem annum 1549. fetidos suos erro-  
res sparsit Bullingerus Zwinglianus, qui in-  
ter alia mendacia fortissime tuitus est, non ali-  
um Antichristum in mundum venturum, quàm  
qui de facto sit Pontifex Romanus.

2. Incusavit idololatriæ S. Joannem Evan-  
gelistam, quòd ille Angelum honorasset, ut scri-  
bit in Apocalypsi. Obiit anno 1575.

#### DE GUILIELMO POSTELLO.

Guilielmus Postellus Barentonius disciplina-  
rum linguarum exoticarum ad miraculum  
usque peritissimus, inanes ex Rabbiorum &  
Thalmudistarum somniis nãnias invenit, quas  
propè indignum est revelare.

1. Dixit SS. Trinitatem mundum quod-  
dam corpus habere & animam: ineptissima que-  
dam de Virgine Venetâ, de Christo intoxicato,

de

de matrice mundi evomuit, quæ nequidem proferre convenit.

2. Scripsit *Clavem absconditorum à seculo*, ubi ait, se declaraturum, quæ nequidem Christus, neque Apostoli, neque Ecclesia usque ad hanc horam portare valuit.

3. In *Elia Pandochæo* universas omnis generis hominum sectas à Christo salvandas esse fabulabatur.

4. Scripsit de *nativitate mediatoris ultimæ futuræ*, cujus operis auctorem disertè in titulo libri scribit *Spiritum Christi*: imò in fine præfationis disertè ait, hæc scripta non esse sua, sed Christi sensibilibiter in nobis suum Evangelium exponentis.

5. *Factat*, Angelum *Razaël* multa sibi mysteria revelasse, hujus autem præcursores fuisse *Schmenckfeldium*.

6. In sua *Parthenosiâ* docet, sex esse Sacramenta.

Scribit de hoc Postello *Nicolaus Orlandinus* in *Historiâ Societatis Jesu*, num. 3. Erat Gallus egregiè litteratus, & doctus mathematicis præsertim litteris & varietate linguarum *Guilielmus postellus*, qui non exigua in speciem pietatis documenta præbens ad Tyrocinium admissus est, sed brevè deprehendit *Ignatius*, hominem non prophetico, ut ipse somniabat, spiritu

ritu afflatum, sed potius spiritu erroris inflatum esse. Itaque nullam contumacis doctrinæ, quæ cum verâ sapientiâ pugnet, rationem ducendam ratus, maturè è Societate Mathematicum hunc ita secrevit, ut usu & colloquio ejus universos Socios interdiceret, qui demùm fertur ætate decrepitâ Catholicus obiisse Parisiis.

Hujus etiam Catholici Postelli meminit Bellarminus, item Marquisius, qui scribit, Postellum centenarium, & multarum linguarum peritum Lutetiæ obiisse, ubi magno accurrentium numero tanquam redivivus inusitatæ ætatis Doctor auditus est, admirabili multiplicis doctrinæ ac memoriæ demonstratione, ut vix credi possit; dixeritque Maldonatus, vir acri ingenio illum allocutus, mirari se talem in mundo virum existere, cujus quot verba, tot essent apophthegmata.

DE THEODORO BEZA, BEZANITARUM ANTESIGNANO.

*Theodorus Beza Calvinista Vetzeli in Burgundiâ natus, Ecclesiam impugnare cepit anno 1550. qui impudentiam suam palàm omnibus manifestavit feditate epigrammatum, quæ scripsit, & alia scelera, quæ illum Prioratum suum Longanæum vendere, & Galliâ excedere compulerunt; nec immeritò Epicurus & blasphemus*

mus scurra à Tilmanno Heshusio Lutheranò ap-  
pellatur.

1. Omnipotentiam Dei in constituendo eodem corpore in diversis locis negavit.
2. Negavit orandum esse pro reprobis.
3. Electos nullo peccato mortali coinquinari posse, reprobos verò nullo veniali.
4. Deum non esse omnipotentem, nisi simul omnis peccati impulsor & auctor sit.
5. Capitalis fuit hostis B. Mariæ Virginis & honoris Sanctorum.

Sathanam, ait, præsedisse Conciliis Ecclesiæ.

7. Sathanam posuisse fundamenta cultus Sanctorum.

Genevæ impiam animam egit anno 1603.

#### DE JUSTO JONA.

Jonas fuit coquus Lutheri, seq. Justum Jonam vocandum curavit anno 1550. non secus ac Osiander se ipsum secundum Henoch vocabat.

#### DE VALENTINO CRATOALDO.

Sacramentarius fuit, & novam adinvenit illorum verborum explicationem: Hoc est Corpus meum. Docens, illa sic esse disponenda: Corpus meum est hoc, videlicet, Panis & cibus spiritualis & vivus, qui de cælo descendit.

\*†\*

F 7

DE

## DE ANDREA OSIANDRO.

**A**ldiri cepit anno 1551. Postquam autem Lutheranum aliquamdiu egit, altare suum seorsum erexit, secundum Henoch se esse jactans, ac speciatim docens, hominem non justificari per fidem, sed per essentialem Dei justitiam, & formalem nostræ justificationis causam esse illam ipsam justitiam, quâ Deus essentialiter justus est.

## DE STANGARIANIS, SIVE ANTI-OSIANDRIANIS, AUCTORE FRANCISCO STANGARO.

**F**ranciscus Stangarus Mantuanus tueri capiens, ut Osiandro obsisteret, Jesu Christi humanitatem esse nostræ justificationis causam, in extremum oppositum se præcipitem dedit, nimirum Jesu Christi Divinitatem Arianorum more oppugnando; agebat enim Christum esse justificatorem nostrum secundum solam humanitatem, exclusâ Divinâ naturâ.

Docebant prætereà Stangariani, Eucharistiam datam esse tanquam pignus Corporis Christi.

## DE MUSCULANIS, SIVE ANTI-STANGARIANIS, AUTHORE ANDREA MUSCULO.


**C**um Andreas Musculus utramque opinionem refellere conaretur, Osiandri scilicet & Stangari, tueriq;, Jesum Christum secundum utramque naturam esse justificatorem, eò progressus est,

et

ut doceret, Divinam Jesu Christi naturam esse in  
 cruce unà cum humanâ naturâ mortuam. **EST**  
 autem alius hic Andreas Musculus à Wolffgan-  
 go Musculo Sacramentario, qui circa annum  
 1549. etiam impia dogmata sparst.

### DE SEMI-OSIANDRIANIS.

**I**nditum est hoc nomen Pseudo-Theologicæ Tu-  
 bingensibus, eo quod pugnent contra Osiandrum  
 pro Anti-Osiandrianis, contendentes, homi-  
 nem imputatione justum in hac vitâ appellari;  
 ex alterâ verò parte pro Osiandro decertant con-  
 tra Anti-Osiandrianos, asserentes: necesse esse,  
 ut in alterâ vitâ homo justus fiat, eâ ipsâ justiti-  
 â, quâ Deus essentialiter justus est.



## DECAS VI.

✽ (Ab anno Christi 1550. ad 1560.) ✽

1551. **R**esumptum est hoc anno Triden-  
 ti Concilium, sed pauci inter-  
 fuere, ob Parmensis belli metum, tum enim  
 Octavius videns se imparem Ferdinando  
 Gonzagæ in urbem com meatum inferre  
 prohibenti, & opem negante Pontifice  
 confugit ad Francos, quorum præsidium  
 Rex suscepit. Id ut Julius Pontifex im-  
 probaret, Francum bello cum Cæsare jun-  
 ctis



Etis armis aggredi decrevit, bellum igitur inchoatum potentissimos duos Principes collisit, multis Provinciis hoc incendio correptis. Diciturque est bellum Parmense.

Interea Protestantes in Germania Carolo V. Landgravium Hassiæ libertati restituere recusante quamvis id Electores & Daniæ & Hungariæ Reges flagitarent, factus iniêrunt cum Henrico II. contra Carolum.

Nec otius est Solymanus Christianis Principibus se se bellis mutuis lacerantibus, & Pontifice communi Patre filiorum contentionibus implicante, Ducibus Sinane Bassâ & Dragute, Hungariam invadit, diripit Siciliam, tentat Melitam, & occupat Insulam Gozo, omnibus indigenis abductis aut necatis. Quorum malorum causa in Francos quasi incentores à Cæsarianis derivata est.

Cæsus est hoc tempore Georgius Monachus Cardinalis per Sicarios operâ Castadi Ducis Ferdinandi ejus divitiis inhiantis, sed inventæ sunt opinione minores, & qui ea spolia attigerunt, omnes malè periêrunt, quodque dolendum maxime post ejus cædem hæresis in Hungariam & Transylvaniam penetravit, quam hæc-

nus

gitur  
cipes  
endio  
Par.  
Caro.  
restit.  
es &  
t, fæ.  
Ca.  
ianis  
anti-  
orum  
s Si-  
nva-  
, &  
genis  
orum  
æsa-  
Mo-  
Ca-  
nhi-  
ores,  
nalè  
rimè  
riam  
æte-  
nus

nus industriâ suâ ab his regionibus ar-  
cebat.

Henricus II. propter inimicitias cum Pontifice multum impedit Concilium Tridentinum, & ab eodem Helvetos & Rhætos avertit.

✽(1552.)✽ Mauritius Saxonæ Elector bellum infert Imperatori, quod tamen Ferdinandus Caroli frater tantisper componit, per Friderici Saxonis & Landgravii Hassiæ liberationem promissam, & factam simul in Conventu Passaviensi promissionem, quòd nemini in posterum Religionis causâ faciendâ sit molestia.

S. Franciscus Xaverius dum Evangelium Christi in Sinas inferre laborat, in Insula Sanciano sanctissimè moritur.

Siun Patriarcha Nestorianorum Romam venit, & Romano Pontifice agnito pro universali Pastore Nestorianam hæresin abjurat.

Lutheranorum cum Zwinglianis bellum à Joanne Westphalo restauratur, qui librum scripsit, in quo Sacramentariorum opiniones, non minùs confunduntur, quam ipsi dissidentes inter se cribrantur.

✽(1553.)✽ Bellum Protestantium adversus Carolum V. & Ferdinandum magno ardore erumpit. Mauritius enim Saxoniæ

niæ

niæ Elector & Albertus Marchio Brandenburgicus cum Guilielmo Landgravii majore natu copias suas conjunxere, & Augustam Vindelicorum quatruido obsesam occupant, inde versus Ænipontem movent & Ereberga capta magnas curas injiciunt Cæsari Villacum Carinthiæ se recipienti, qui etiam tum Joannem Fredericum Saxonem, quem secum captivum ducebat, libertati suæ restituit; Ænipontem autem Protestantes cœperunt. Alibi etiam Henricus Franciæ Rex Lotharingiam ingressus cum magno exercitu eam totam sibi subjecit, & Principem Carolum novennem in Franciam cum suo Delphino nutriendum misit, pollicitus ei Claudiam filiam suam, totiq̃ue Regioni Nicolaum Valdemontium pueri patrum præfecit. Occupavit quoq̃ue Tullum, Virodunum, & Metas sibi ex fœdere concessas quo minùs autem Argentorato potiretur, effecit civium prudentia, qui rebus omnibus bene instructi & bene animati sui juris esse perrexerunt. Ulteriùs tunc in Germaniam Henricus Rex Galliæ progressus esset, nisi Germani Principes confœderati ultra progredi inhibuissent, suâ jam libertate potiti æquè parum Henrico Galliæ quam Carolo Imperat. addicti, sed suis

tan-

tantum commodis intenti. Pax itaque confecta, & dicta Mauritianax pax, per illam *Interim* abolitum est, concessumque Protestantibus ut arbitrato suo viverent, quam pacem ægrè tulit Henricus, qui se à Principibus Germaniæ deceptum & illud dicebat, mox enim Carolus ad recuperandas Urbes Imperii adjecit animum, & ingenti parato exercitu cum Alberto Brandenburgico Metas XI. Kal: Octobris obsedit centum peditum millibus & duodecim Equitum, fossorum septem millibus majoris tormentis bellicis centum & quatuordecim. Sed hanc urbem ingressus Franciscus Guisus cum manu magna nobilium, sic tutatus est, ut Caroli gloriæ posuerit metas. Ferunt Imperatorem in hac infortunatâ expeditione Germanorum 40. millia perdidisse, relictis in castris multis ægrotantibus & peregrinis, quos omni diligentia Guisus fovit, & sanitati restitutos ad sua remisit in patriam pecuniâ etiam in viaticum suppeditatâ.

Dum Christiani bellis se se atterunt in Germaniâ, Solymanus in Hungariâ multis urbibus captis magnis passibus & viribus progreditur, donec Agria civitas impetum cohibuit & duobus Stephanis Dobone & Nescutio contra viginti quinque

que

que assaultus fortissimè propugnata est, & pax inter Ferdinandum & Solymannum inita.

Posthæc Solymannus filium suum Mustapham & filium ejus ex amore Roxolanæ uxoris strangulari jubet, cujus cadavere viso Glangires frater gibbosus, sibi pugionem defixit in pectore funus fratris suo funere cumulaturus.

Servetus novorum Arianorum auctor Genevæ vivus comburitur, cujus tamen sectam Valentinus Gentilis & Georgius Blandrata in Transylvania & Polonia postmodum disseminârunt.

Eduardus Rex Angliæ moritur, anno ætatis 17. cui favore populi & magnatum successit Maria filia Henrici ex Catharina prima legitimâ. Hæc mox fidem Catholicam in regnum restituit, & Titulum Capitis Ecclesiæ Anglicanæ rejecit, ac pro Legato Apostolico Reginaldum Polum accersivit Pulsis-Pseudo ministris hæreticis, quorum supra triginta millia mox exulare jussi sunt.

✱(1554.)✱ Maria Regina Angliæ nubit Philippo Caroli V. filio, & Reginaldus Polus Legatus Apostolicus Regio sanguine, pietate & doctrinâ conspicuus totam Angliam Ecclesiæ reconciliat.

Joan-

Joannes Basilius Moschorum Dux regnum Astracanicum Tartaris eripit, Astracanicenses verò omnes aut sacro baptismo abluti, aut aquis submersi sunt.

A Carolo V. & Henrico II. Franciæ Rege vario exitu pugnatur in Italia & in Belgio, non destitit etiam à motu civili propter nuptias Mariæ cum Philippo initas, Ducibus rebellionis Thoma Viato & Suffoluo, qui mox Londinensi populo à Regina Maria prudente & elegante oratione Sedato, proscripti & capti cum Joanna Pseudo Regina publico supplicio necati sunt cum Octoginta aliis complicibus. Dati quoque in carcerem Elisabetha & Curtænus hujus Conjuratiōnis postulati, hic emissus abiit in Italiam, illa in carcere Mariæ mortem & regnum expectavit.

✽(1555.)✽ Julius III. Pontifex obit, eique substituitur Marcellus Cervinus II. Politianus vir laudatissimis moribus, sed intra 22. dies elatus est & tenui pompâ sed lacrymis Romanorum & dolore omnium bonorum sepultus. Huic successit Joannes Petrus Caraffa Neapolitanus pene Octuogenarius, dictusque est Paulus IV. qui mox fœdus cum Henrico II. iniit, pro Regno Neapolitano occupando, erat enim animo satis averso Paulus & tota Caraffianorum familia à Carolo V. In

In Anglia ferò in hæreticos animad-  
versum est, quando etiam Thomas Cranme-  
rus Pseudo-Archi-Episcopus Cantuariensis,  
cum convictus Palinodiam recinisset, im-  
pœnitens, & multa in Ecclesiam deblate-  
rans vivus combustus est. In ejus locum  
suffectus est Reginaldus Polus hoc hono-  
re dignissimus.

Carolus V. mortuâ Joanna parente suâ  
in manibus Francisci Borgiæ olim Gandiæ  
Ducis, tum Societatis Jesu Sacerdotis 8.  
Kal: Novembris Bruxellis abdicat se se sta-  
tibus suis filio suo Philippo traditis, re-  
petiturus Hispaniam & privatam vitam ibi  
traducturus, reservavit sibi duntaxat cen-  
tum millium aureorum annuos redditus,  
Ferdinando admonito, ut provideret Im-  
perio. Anno proximo in Hispaniam navi-  
gans in Monasterium S. Justi fratrum Hie-  
ronymitanorum in finibus Castellæ seces-  
sit, ibique reliquum vitæ tempus transe-  
git Deo, sibi que vacans, contempto quàm  
gesto Imperio mirabilior.

In Germania Petrus Canisius Societatis  
Jesu tot tamque diversis hæreticorum  
Catechismis, opponit Catechismum  
Catholicæ religionis, qui non solum  
tum multis in Germania profuit, sed  
etiam deinceps sparsus per Orbem uni-

versum propositus est, tanquam purissimam doctrinam Christianitatis complectens.

Andreas Oviedus Patriarcha Æthiopiæ à Pontifice designatur, in qua impigrè usque ad obitum laboravit, in vita & post mortem miraculis clarus, & eo redactus inopiæ in sua dignitate & Apostolatu, ut bubulcum agere & terram aratro profcindere cogeretur, merito nascentis Ecclesiæ præsulibus sædnumerandus.

Brasilia hoc anno detegitur per Nicolaum Durandum cognomento Villagnonium Equitem Melitensem.

Thomas de Villa nova Archi-Episcopus multis pauperum lacrymis in cœlum è vivis migrat.

✱(1556.)✱ Inducias quinquennales Philippus & Henricus curaverunt, sed has dissidia Columnarum & Pontificis contraxerunt, cum huic Henricus, & illis Albanus opera tulisset: Missus est igitur in Italiam cum validis copiis Franciscus Guisus, & varia commissa sunt certamina, inter duas partes cunctantibus Venetis, & quò fortuna vergeret circumspicientibus.

Turcæ hoc anno duas clades accipiunt, unam ad Oranum Africæ, unde repulsi sunt, & alteram ad Zigetum in Hungaria unde

unde



unde rejecti sunt, sed felicius in Transylvania opitulati sunt Isabellæ, & omnes Ferdinandi copias expulerunt, plus tamen damni ipsis incolis, quam Cæsariano militi inferentes.

S. IGNATIUS Societatis JESU Fuudator anno ætatis 63. cum per universum orbem filios suos in collegia centum, & Provincias duodecim distribuisset, migrat ad Domini gloriam, quam in terris magno conatu propagare intendebat.

✽(1557.)✽ Obiit hoc anno Joannes III. Lusitaniæ Rex, omnibus quidem virtutibus, sed vel maximè pietate & zelo Catholicæ fidei inter barbaras gentes propagandæ excellens; eidem successit Sebastianus ex filio Joanne prius defuncto nepos posthumus, tunc trimulus, sub tutela aviæ Catharinæ piissimæ fæminæ.

Fame Germaniam affligente, Rex Catholicus Philippus aluit 30. millia pauperum.

Franciscus Dux Guisus ducto in regnum Neapolitanum exercitu, multa loca occupat, feliciorum successum Duce Albanino impediente. Obsidente vero Sanguintinum in Veromondanis Philippo Hispaniarum Rege Galli subsidio accurrentes, ingenti clade afficiuntur, die 10. Augusti capto

capto etiam cum multis aliis Mommoran-  
tio Comestabili.

✱(1558.)✱ Maria Scotiæ Regina &  
hæres nubit Delphino, Maria autem An-  
gliæ Regina ex hydrope moritur anno  
ætatis 44. post cujus mortem statim Ma-  
ria Scotiæ se quoque Angliæ Reginam di-  
xit, & jubente focero usurpavit insignia  
regni, ab Anglis autem electa est Elisabe-  
tha filia Henrici VIII. ex Anna Bolena  
mulier ingeniosa & solers, & hæresim tan-  
tum professa ne natales ejus Ecclesia dam-  
naret, verè nullius religionis, sed de reg-  
no tantum sollicita: unicuique initio sui  
regni liberam religionem reliquit. Audita  
Mariæ mortè sedecim horis post Regi-  
naldus Polus ex quartanâ febris decumbens  
diem quoque obiit.

Guisus acerrimâ tormentorum verbera-  
tione intra septem dies Calisium ad dedi-  
tionem cogit, quod jam ab annis ducen-  
tis & decem Anglicum jugum sustinebat.  
Sic Anglis erepta est Franciæ clavis, quam  
è zonâ Regis sui pendere jactabant. Eâ-  
dem victoriâ aliæ quoque urbes occupatæ  
& Anglis ereptæ, quæ in Franciâ sitæ  
erant, ut jam non invenirent Angli ampli-  
us, ubi pedem in Francia figere possent.

Selimo & Bajazethe de Imperio certan-  
tibus

G

tibus

tibus vivo adhuc patre, victus Bajazethæ ad Techmanem Persarum Regem confugit, sed Solymano instante, ibidem cum filiis suffocatur.

Francofurti Ferdinandus à Principibus pro vero & legitimo Imperatore agnoscitur, quanquam id Pontifex improbaret, & ut Imperio renunciaret, quamdiu vixit, expeteret.

Mortuus est hoc anno XI. Kal. Octobr. Carolus V. cum vixisset annis sexaginta duobus, & mensibus 7. Cujus mortem cometes insignis sub comâ Berenices prænunciâsse putabatur. Vir magnæ prudentiæ, futurus totius Europæ Dominus, nisi Franciæ Reges impedivissent, à quibus multum damni accepit, & sæpe plus reposuit. Mortuus est pientissimè, qualis etiam inter tot regnorum negotia, inter curas & bella, vixisse visus est; Si paucas quasdam labe nomini ejus adhærentes excipere vel Benevole, uti aliquæ possunt, excusare libuerit. Filium unum reliquit legitimum Philippum, & filias duas Mariam Maximiliani, & Joannam Principis Lusitani conjugem: ante conjugium Margaritham Octavii Parmensis uxorem, & in viduitate ex Ratisbonensi sceminâ Joannem Austrium, bellicosum Ducem suscepit.

suscepit. Quas noxas contractas inter tam  
obvias labendi occasiones plurimum post-  
modum in monasterio erubuit, in quo re-  
tentis solum duodecim domesticis, & uno  
equulo, quo interdum animi gratia ad vi-  
cinas sylvas ferebatur, ita pie vixit, ut ni-  
hil agere videretur, quam ad mortem pi-  
etissimè obeundam se præparare, conti-  
nuis precibus expugnare cœlum, frequen-  
ter mundare animam, cibo cœlesti refice-  
re, & vivere frugalissimè, ut ex centum  
millibus ducatorum (qui annuus ejus cen-  
sus erant) vix quatuor millia infumeret,  
parte reliquâ in usus pauperum distributâ,  
quin & flagris senile corpus cædere, ut  
erubesceret ad noxas juventutis: extat  
adhuc flagellum respersum sanguine Ca-  
roli, quod filius ejus Philippus morti pro-  
ximus tradidit Philippo III. filio avitæ vir-  
tutis commendatione. Tandem etiam vi-  
tæ impatiens ipse, mortem quasi provo-  
cans, jussit sibi adhuc vivo celebrari exe-  
quias funebres, quibus ipse tenerrimo  
sensu mortalitatis interesset; nec videba-  
tur vanè vocata mors, venit enim mox al-  
terno ab exequiis die, immisâ feбри, quâ,  
Sacramentis omnibus expiatus & instru-  
ctus, inter illa verba: *In manus tuas, Do-  
mine, commendo spiritum meum*, placidissi-  
mè animam Creatori suo reddidit.

G 2.

Hoc

Hoc anno Herbipoli à quindecim Equitibus cæsus est Melchior Zobell, Episcopus Herbipolitanus, jussu Grumbachii qui demùm detectus, & post aliquot annos captus, ipse sui miserandus tortor extitit, sibiq̄, custodibus sopitis, laqueo gulam infregit.

#### HÆRESIS VERGERII.


*C*irca annum 1558. hic Catholicis in Polonia molestus fuit, fuitq̄, insignis Lutheri ac Brentii fautor, & singulari in Sedem Apostolicam odio flagrant.

#### DE NICOLAO AMBSDORPHIO.

*F*uit ex numero rigidorum Confessionistarum, qui bona opera salutis hominis perniciosam esse, arbitrantur; fuit aded in hoc errore pervicax, ut librum de eo scripserit, cui titulus, Propositio vera, quod bona opera perniciosam sint ad salutem.

#### DE MAJORISTIS, DUCE GEORGIO MAJORE.

*M*ajoriste sive Majorani cohortem unam componunt Mollium Confessionistarum, docentes contra Ambsdorphanos, bona opera esse ad salutem necessaria etiam infantibus, adeo ut eorum sententiam nemo unquam salvus fuerit, aut justificari possit absq̄, bonis operibus antecedentibus



DE

## DE ANTINOMIS.

**R**amus hic est Lutheranismi, & hoc nomine  
 idè appellati sunt, quod ad extollendum  
 Evangelium legem usq; adè deprimant, ut in-  
 utilem prædicent, & neq; ante justificationem,  
 neq; post, modo ullo necessariam, contendantq;  
 homines Evangelicos minimè obstrictos teneri ad  
 exequenda Legis Divinæ bona opera, sic à Lu-  
 thero & Lutheri discipulo Joanne Agricola  
 edocti.

## DE MANSFELDENSIBUS.

**A**lius est hic Lutheranismi ramus, nomen hoc  
 inde sortitus, quod juniorum Comitum de  
 Mansfeld confessionem sequatur, quæ sectas  
 alias Lutheranorum complures rejecerunt, vi-  
 delicet Adiaphoristarum liberum arbitrium, &  
 bona opera defendentium Osiandrianorum, Stan-  
 garianorum, & alias nonnullas.

✱(1559.)✱ Elisabetha Angliæ Regi-  
 na declarata sævire incipit in Catholicos,  
 & novam religionis formam inducit, ut  
 se Ecclesiæ Anglicanæ Caput ostende et.

Pax inter Philippum Hispaniæ, & Hen-  
 ricum II. Galliæ Reges in Agro Came-  
 ransi toti Orbi gratissima concluditur.

Paulus IV. Pontifex in nepotes suos se-  
 verè animadvertit, submovendo eos à  
 præcipuis, quæ gerebant, officiis, &  
 omnes relegando.

Parisiis, dum celebrantur nuptiæ Elisabethæ filiaë Henrici II. cum Philippo II. Hispaniæ Rege, Rex Henricus in ludicio hasti-ludio hastæ contractæ frusto per occiput ad sinciput penetrante à Mongomerico Lorgii filio vulneratur, & relatus in palatium, moritur, magno luctu Catholicorum, & gaudio hæreticorum. Successit patri Franciscus II. primogenitus, annum agens 18. qui mox uxorem Mariam Scotiæ, Hybernæ, & Angliæ Reginam (Elisabethâ indignante) renunciari curat. In Galliâ Calvinianæ sectæ sermō quidē, sed sermō obviam itur. Philippus autem Hispaniæ Rex, Gallorum exemplo doctus, initiis statim ejusmodi hominum infantiæ providet, & severè animadvertere jubet adversus hæreticos in Hispaniam sese insinuantes.

Moritur Paulus IV. Pontifex, & Joannes Angelus Medicenus subrogatur, dictus Pius IV.

✱(1560.)✱ Nepotes Pauli IV. Pontificis, quos ipse Paulus urbe ejecerat, Pius IV. Pontifex carceribus mancipari jubet, qui & anno sequenti de criminibus convicti supplicio affecti sunt, & Carolus quidem Cardinalis Majestatis læsæ reus strangulatus est: Joannes ejus frater cum  
Comi.

Comite Allifano uxoris fratre capite ple-  
xi, & capita illorum mox in Ælio ponte  
ad terrorem exposita; Alphonsus mitioris  
vir ingenii mitius etiam habitus, grandi  
ære & Cameræ Præfecturâ ademptâ mul-  
ctatus vitam obtinuit. Ita Pius IV. Pauli  
IV. inchoatam duntaxat in nepotes auste-  
ritatem absolvit, & legitimam illam fuisse  
demonstravit. Tum autem idem Pius IV.  
sororum suarum filios ad se evocatos eve-  
xit & ditavit omnes, in quibus si peccavit,  
ex uno tamen obtinuit veniam, Carolo  
scilicet Borromæo Mediolanensi, sororis  
Margarithæ filio, quem annos natum vi-  
ginti & unum Cardinalem creavit, & po-  
stea Archi-Episcopum Mediolanensem:  
qui ita vixit, ut Purpuram & Infulas præ-  
stantissimis virtutibus illustraret.

Hæretici in Gallia contra Regem & Gui-  
sios, auctoribus (ut creditum est) Calvi-  
no & Bezâ conspirant, sed conjuratione  
detectâ, plurimi ex complicitibus jugulan-  
tur, capite mulctantur, suspenduntur.

In Scotiâ etiam Galli rem Catholicam  
fortiter tuentur contra sectarios rebellan-  
tes favore Anglorum.

Rex Mauritanix in urbe Fessâ cum plu-  
rimis baptizatur.

Franciscus II. Rex Gallix apostemate ad



nares enato anno ætatis suæ vigesimo secundo moritur, cui Carolus IX. frater successit anno ætatis decimo.

Classis Hispanica propè Insulam Zerbi à Turcis profligatur, perditis viginti milibus Christianorum, & triremibus 28. onerariis 14. cum multis minoribus navigiis: fugèrè turpiter Christiani Duces, & vix ipse Medina Cæli in Siciliam salvus evasit. Capta est arx Zerbensis, Turcis de Christianorum calamitate triumphantibus.

Moritur Gustavus Rex Sveciæ Lutheranus, cui succedit Ericus XIV.

Centuriatores Magdenburgenses, quorum caput erat Mathias Flaccius Illyricus rigidorum Lutheranorum antesignanus hoc anno centurias suas emittere parârunt, tomos numero tredecim, refertissimos mendaciis, *Aureum Opus* ab hæreticis dictum, sed à Cardinali Baronio *Stramineum* esse, abundè probatum.

✽✽✽✽✽✽✽✽:✽✽✽✽✽✽✽✽✽

## DE CAS VII.

✽(Ab anno Christi 1560. ad 1570.)✽

1561. ✽ **M**Aria Regina Scotiæ uno tempore orbata matre & marito, in Sco-

Scotiam revertitur, & in suâ navigatione sex dierum caligine veluti nube tecta, hostes insidiatores mirabiliter incolumis evadit.

Protestantes in Germaniâ Namburgum Thuringiæ conveniunt, & de Concilio disceptant, sed statim parùm concordēs inter se discedunt.

In Livonia fides Catholica magnum detrimentum patitur, Livonico Ordine extincto, & bonis Ecclesiasticis inter nobiles distractis, atque Lutheranismō introducto.

Gonsalvus Sylveria è Societate Jesu in regnum Monomotapæ Catholicam fidem invehit, & Regem ac Reginam ad eam amplectendam inducit, & baptizat, indito illi nomine Sebastiani, & huic Mariæ; sed paulò post infidiis Mahometanorum martyrio afficitur.

In Scotiâ ita hæresis invalescit, ut vix Reginæ sua religionis libertas relinquere-  
retur. In Vallibus quoque Sabaudiaë Waldensium reliquiæ caput erexerunt: Similiter in Galliâ Hugonottæ à Rege ac matre Reginâ templa in usum suæ prætentæ religionis impudenter postulant, & id extorquent, ut permissum illis fuerit, suos agere conventus, sed extra urbium mœnia, idque duntaxat usque ad Concilii Tridentini determinationem.

Prima Congregatio Beatissimæ Mariæ Virginis in Romano Collegio Societatis Jesu instituitur, à quâ derivatæ sunt postmodum per universum Orbem similes Congregationes.

DE LUCÀ STERNBERGERO  
HÆRETICO.

**E**merfit hoc anno in Omolucensi Moravia oppido, Lutheri ac Melanctonis discipulum se professus; docuit sequentes errores:

1. Eum, qui nomen SS. Trinitatis profiteretur, tres Deos comminisci.
2. Jesum Christum non esse verum Deum, sed simplicem hominem.
3. Spiritum Sanctum irridebat, columbam tantum esse causatus.
4. Beatissimam Virginem, ajebat, virginitatem perdidisse, & tres filios ante Christum genuisse.
5. Laborandum esse die Dominico, die autem Sabbathi esse abstinendum.
6. Baptismum rejiciebat, vocans institutionem diabolicam.
7. A probris in Eucharistiam conjiciendis nunquam destitit, addens inter alia nefanda, Judæos Agnum Paschalem jam pridem devorasse, & si quid reliquum fuerit, igne cremasse.

† † †

DE

DE BERNARDINO OKINO, POLY-  
GAMISTARUM ANTESIGNANO.

*P*olygamistarum Antesignanus Bernardinus appellatur, non quòd ipse fuerit primus, qui polygamiam defenderit, sed quòd is specialem librum in lucem ediderit, & polygamiam, seu licitam uxorum multitudinem prædicaverit.

DE VALENTINISTIS, à JOANNE  
VALENTINO GENTILE PRO-  
GENITIS.

*J*oannes Valentinus Gentilis Neapolitanus fugâ Genevam petens, multiplicem ex Calvini scholâ impietatem hausit, quamvis Calvinus contra hunc suum discipulum satis acerbè scripserit.

1. Censebat eos falli, qui tres Personas in Essentiâ Divinâ statuerent, quoniam (ajebat) Dei Essentia non est, nisi in Patre, adeò ut contenderet, non nisi Patrem esse verum Deum, Deiq; nomen non nisi precario convenire Filio, utpote essentiato à Patre.

2. Sophisticum appellabat S. Athanasti Symbolum, quoniam quartum Deum introducit, eâque de causâ S. Athanasium Præstigiatores sacrilegum appellabat.

3. Substantiam Patris & Substantiam Filii esse duas substantias.

4. Ad confirmandas suas blasphemias Mahometis Alcoranum cum veteri ac novo Testamento.

commiscebat. Unde S Paulus Alciatus unus ex  
 præcipuis ejus commilitonibus ex Calvinistâ Ma-  
 hometanus factus est.

✱(1562.)✱ Serio hoc anno resumi-  
 tur Concilium Tridentinum, quo tempore  
 maximè turbatur Gallia ab Hugonottis  
 hæreticis, qui multas urbes in Gallia vi-  
 occupant, & crudeliter in Catholicos sæ-  
 viunt. Tum quoque præter templa di-  
 ruta, cadavera effossa etiam Regum de-  
 functorum, Bibliotheca Cluniacensis à Po-  
 senaco Duce Hugonottorum inflammata  
 magno rei litterariæ detrimento, cujus  
 jacturam nulla vel ætas vel pecunia refar-  
 ciet. Demum grassatores hæretici me-  
 morabili prælio ad urbem Druidum cum  
 Catholicis conflixerunt, ex parte horum  
 stante victoria, quâ insolentia illorum  
 domita, & ferocia cohibita est.

Maximilianus filius Ferdinandi coro-  
 natur Pragæ in Regem Bohemiæ, ac dein-  
 de in Regem Romanorum Francofurti.

Hoc anno Ordo militaris S. Stephani  
 Papæ à Cosma Medicæo Florentiæ Duce  
 institutus, à Pio IV. Pontifice approbatur.

✱(1563.)✱ Franciscus Guisus Regii  
 Galliarum exercitûs adversus Hugonottas  
 Ductor insigni religione & militari peritia  
 clarissimus dum Aureliam ab hæreticis oc-  
 cupa-

cupatam obsidet, proditoriè à Joanne Pol-  
trotto hæretico submisso parricida, tribus  
sclopeti glandibus ictus moritur: Parri-  
cida captus in tormentis Bezam inter sua-  
fores facinoris nominavit, ipseque à qua-  
tuor equis Lutetiæ discerptus periit. Post  
quæ dimissis è custodia hinc inde Condæo  
& Comestabili pax sectariis data est a Re-  
ge, licèt non satis decorè, tamen ut vide-  
batur pro necessitate temporum utiliter.

Joannes Moschoviæ Dux ob receptos  
Livones Equites Polotiam urbem Lithua-  
niis eripit.

Cùm Concilium Tridentinum vehemen-  
tioribus Ferrerii Legati Franci orationi-  
bus turbaretur, suasionè Lotharingi Car-  
dinalis finis Concilio impositus est, quem  
omnes pariter optabant, & nemo magis  
quàm Pontifex. Breviato igitur deinceps  
sessionum tempore & capitibus de refor-  
matione Principum (quæ plùs negotii fa-  
cessebat) ad unum revocatis, quod nemo  
improbare possit, finis impositus est, pri-  
die Idus Decemb: post ejus sessiones 25.  
huic subscripsère Legati & duo alii Cardi-  
nales, 3 Patriarchæ, 25 Archi-Episcopi,  
168 Episcopi, 7 Abbates, 39 Procuratores,  
absentium & septem Generales Ordinum.

In hoc Concilium maximè debacchantur hæretici, quia non præsentibus tantum sed etiam futuris hæresibus per illud provisum est.

✱(1564.)✱ Concilium Tridentinum obsistentibus licèt ministris curiæ Romanæ à Pontifice confirmatur & congregatio octo Cardinalium instituitur pro ejus executione. Mittitur etiam legatio ad Carolum II. Regem Galliæ pro acceptando Concilio, cujus confirmatio valde displicuit Gallis, & verendum erat, ne juvenis Rex ab Ecclesia fieret alienus, si illud obtunderetur, sed præter spem honorificè & benevolè valde Legatos excepit & verè Christianissimum atque ad servanda Ecclesiæ jura cæteris Principibus paratiorem se ostendit. Edidit nihilominus consultationem Carolus Molinæus magni nominis Jurisconsultus, ideoque jussu Parisiensis Senatus in carcerem datus est, unde tamen postea regis jussu emissus, qui sine dubio hæreticus fuit, ut ejus Epistola ad Joannam Navarræam luculenter arguit: utrùm autem resipuerit incertum est.

Ferdinandus I. Imperator moritur, Princeps religiosissimus & Ecclesiæ amantissimus.

Scotia valde turbatur ab hæreticis, Regina

gina tamen Maria nubit Henrico Stuardo  
Duci Lenoxio Catholico, & ex sanguine  
Regio.

DE DEISTIS SIVE TRINITARIIS,  
QUI & NOVI ARIANI DICTI.

PEstis hæc ex Lutheranismò profecta Po-  
loniam hoc anno vastare cœpit, & po-  
stea Lugdunum irrepfit anno 1566. cujus  
se caput esse profitebatur Gregorius Pau-  
lus Cracoviensis minister, præcipui ejus  
articuli sunt sequentes.

1. Patrem Filium & Spiritum S. negat esse  
tres personas.

2. Unam esse naturam sive Deitatem omni-  
bus tribus communem, non tamen esse unam Es-  
sentiam.

3. Unum esse Deum, sed solum Patrem esse  
verum illum Deum, filium autem & Spiritum  
S. non esse verum illum Deum.

4. Essentiam Divinam neque ab Angelis, ne-  
que ab hominibus videri aut videndam esse.

5. Malum Angelum à primo puncto suæ  
creationis malum fuisse, & nunquam bonum  
extitisse.

6. Diabolum non potuisse stare in gratia,  
neq; Adamum in statu innocentie.

7. Intellectum humanum esse æternum, quo-  
niam ejus causa esset immutabilis, essetq; ipse ex-  
pers ejus materie, quæ possit à potentia transire  
ad actum.

8. Li-



8. Liberum arbitrium esse potentiam passivam & non activam, moverique ad actum ab appetitu necessario

9. Naturam illam, quæ est principium motus, in corporibus cælestibus esse ab Intelligentiâ movente.

10. Omnes qui peccant, conformare suam voluntatem ad voluntatem Divinam, adeò ut talis sit eorum voluntas, qualem Deus esse vult.

11. Hominem liberi arbitrii usu præditum, si tentatione vitæ cum alienâ uxore commisceatur, non esse adulterii reum. Et idem iudicium est de reliquis tentationibus ac peccatis.

12. Deum esse causam modorum omnium, & circumstantiarum actionis, quod perinde est, ac facere Deum peccati auctorem.

13. Non esse credendum, nisi quod ex se cognitum est, vel declarari potest ex rebus, quæ ex se ipsis certæ sunt.

14. Corpus corruptum non idem ipsum resurgere. (dam

15. Nullam esse suæ sepultura curam geren-

16. Animam, quæ est hominis, ut homo est, forma corrumpi unâ cum corpore.

17. Animam separatam à corpore ignem corporeum non pati.

18. Deniq; Deum, cum sit spiritus, non esse verbis invocandum, sed tantum corde.

DE ANTI-TRINITARIIS, SIVE ANTI-  
THEANIS, AUT NOVIS SABEL-  
LIANIS.

**H**Oc nomine appellati sunt quidam ministri  
Calvini, qui Trinitarios impugnare volen-  
tes, non potuerunt cum Arianismo bellum ge-  
nere, quin se in oppositum Sabelliani erroris ex-  
tremum precipitarent.

## DE PURITANIS.

**C**alvinistarum surculus hic est in Angliâ or-  
tus, ita dictus, quod ceteris purior estimari  
velit, Cui ea de causâ non placet convenire,  
orare, vel baptizare in iis locis, quæ fuerunt  
aliàs Catholico ritu consecrata, adeò ut Sampson  
hujus sectæ Caput, cum unius Puritanorum Ec-  
clesiæ minister esset, mille annui redditûs nummos  
acceptare renuerit potius, quàm vel Sacerdo-  
tali habitu indui, vel etiam pileo quadrato uti.

Hi Puritani sunt, in quorum gratiam anno  
1591. edito Regio promulgata fuerunt quadra-  
ginta duæ leges crudelissimæ contra Catholicos.

## DE LUDOVICO ALEMANNI.

**F**uit natione Italus, professione Calvinista,  
cepit Lugduni Calvinii doctrinam aperte in-  
sectari, circa receptionem substantiæ Jesu Chri-  
sti in carnâ per fidem, voluitque purum Zwin-  
glianismum inducere, videlicet substantiam  
nullo modo recipi, ne fide quidem; deniq; in cœ-  
nâ

nā non recipi nisi spiritualiter corpus & sanguinem Jesu Christi inde abesse causatus.

### DE GOODMANNO.

**C**hristophorus Goodmannus Anglus Calvinista cum ex Angliā Geneva exularet, regnante Mariā Reginā Catholicā edito libro divulgavit, non licere fœminis ullam rempublicam administrare, postea verò Elisabethā Mariæ defunctæ succedente, longè aliter locutus est.

### DE NOVIS SAMOSATENIS.

**H**orum error in eo versatur, quòd pernent, in Evangelio S. Joannis per vocem illam Verbum secundam Personam designari.

### DE ILLYRICANIS, SIVE FLACCIANIS, AUCTORE MATHIA FLACCO ILLYRICO.

**S**etta hæc est Rigidorum Lutheranorum, Molibus Lutheranis, sive Melanchtonicis inimica.

1. Bonorum operum necessitatem hæc secta longissimè relegat.
2. Arianismum instaurat.
- 3e Phreneticum Manicheorum de peccati causâ & essentiâ commentum renovat.

### DE FUNCTIO.

**I**nter alios errores hunc speciatim propugnavit, S. Petrum nunquam Romæ fuisse.

DE

DE DAVIDE CYTHRÆO.

**H**ujus insanus error præter alios fuit, Antichristum jam apparuisse in Gregorio M.

DE UINCTIS ANGLICANIS.

**H**oc sibi nomen assumpsit secta quædam Calviniana, Duce quodam Writo, cujus symbolum ex tribus articulis conflatum erat.

1. Agebat, neminem peccare, nisi eos, qui suam doctrinam non reciperent, quam veritatem appellabat.

2. Novum Testamentum totum esse rerum novarum prædictionem, quare licet Jesum Christum jam semel venisse concederet, eum nihilominus ante diem judicii rediturum expectabat.

3. Eum, cui semel remissa sunt peccata, non amplius peccare.

Fuit præterea unum ex præcipuis ejus axiomatis, fidem viris doctis nullo modo habendam esse.

✱ (1565.) ✱ Celebrantur multa Concilia Provincialia pro recipiendo Concilio Tridentino.

Pius IV. Papa moritur.

Turcæ à Melitâ Insulâ magnâ strage repelluntur à Parisoto fortissimo propugnatore, qui rebus desperatissimis animum tamen non despondit, & adjutus à Garfia auxiliaribus copiis, quamvis valde ferò advenientibus, vel negligentia, vel invidia

diâ

diâ Garfiæ, vim Turcarum ita retudit, ut desideratis fuorum quindecim armatorum millibus, & octo nautarum millibus, globorum è maioribus tormentis frustra ejaculatis obsidionem solvere coacti fuerint; Garfias autem ob præposteram cunctationem exauctoratus est.

Hæretici in Galliâ occultè parant arma contra suum Regem Carolum IX. Similiter Belgæ A catholici Francorum exemplo incitantur ad conjurandum contra Philippum II. Hispaniæ Regem & Belgarum Principem, & principio quidem egerunt libellis supplicibus, ut obtinerent libertatem suæ religionis, & hanc quidem extorquent à Rege Galliæ, at Philippus sapienter tergiversationibus illorum petitiones elusit, & Concilii Tridentini decreta accuratè servari jussit.

Dum Europæi deficiunt, plurimi in Indiis operâ Religiosorum Ordinum ad Ecclesiam reducuntur.

✽(1566.)✽ Eligitur in Pontificè Michaël Chisterius Cardinalis Alexandrinus, nihil tale cogitans, & nequidem aliis de illo simile quid cogitantibus, & consequenter divinitus, dictusque est Pius V. Qui statim exemplo suo novam faciem urbi Romanæ induxit, & contra hæreticos & Turcas defen-  
fensio-

ensionem Ecclesiæ suscepit : Contra illos quidem jubendo sedulò inquirere, an essent in fide suspecti ; contra Turcas verò omnes Principes Christianos in armorum societatem invitando.

In Comitibus Augustanis Maximiliano Imperatori auxilia copiosa decernuntur, contra Turcas.

Solymanus per Bialim Bassam Insulam Chio occupat, ipse verò Hungariam ingreditur, sed in obsidione Zigethianâ extinguitur, Selymo filio eidem succedente.

In Belgio erumpit Geusiorum in Regem Philippum vesania ac rebellio. Fœdus hoc Geusii iniêrunt ad S. Gertrudem non longè ab Antverpiâ. Præcipua capita fuerunt Henricus Bradenrodus, Guilhelmus Nassovius, Guilhelmi Arausicani Principis frater, aliique viri nobiles ad 400. Nonis Aprilis Bruxellis ex ædibus Comitum Culenbergii prodeuntes quaterni aut quini magno silentio ; quasi mimos agerent, in vestibus cinericiis, cum ligneis scutellis ex zonâ pendentibus, ad Margaritham pervenerunt, libertatem petaturi. Ex singulorum collo numisma pendeat, cujus pars antica repræsentabat Philippum, postica duas manus conjunctas & manticæ superpositas : Margaritham perterritam ut  
firma-

firmaret Carolus Comes Barlæmontius exclamavit Gallicè: *Que veulent ces Gueux?* hoc est, *Mendici.* Unde iis adnatum nomen, ut qui in Franciâ Hugonotti, in Belgio Geusii dicerentur. Primò placidè porrectis libellis petièrunt libertatem religionis, cum verò in Hispaniam remissi essent, & ibi arma pararentur, rebellare inceperunt, exclamantes palam: *Vivant Geusii!* Qui mox sacra & profana omnia commifcent, & infinita patrunt sacrilegia.

Similiter in Scotiâ per hæresin omnia turbantur, & Reginae insidiæ struuntur; interea tamen Regina filium parit, quem, ægrè licèt, ritu tamen Catholico baptizari curavit, Carolum Jacobum dictum, qui postea omisso primo nomine, dictus est tantum Jacobus.

Romæ baptizatur Synagogæ præfectus cum plus quam 300. Judæis.

\*(1567.)\* Henricus Scotiæ Rex à perduellibus cæditur, & Regina Maria per calumniam in custodiam traditur, & ad regni resignationem adigitur.

In Belgio Geusiorum ferociam Dux Albanus frangit, & per Belgium severas religionis & perduellionis quæstiones moveri curat, quarum metu male sibi conficii triginta & amplius millia in Angliam, Franciam & Germaniam profugiunt.

Hu-

Hugonottæ in Galliâ Regem & Reginam  
intercipere statuunt, Duce Condæo &  
Colinio, & hac machinâ non succedente  
eundem Parisiis obsident, ac tandem etiam  
prælio cum eo configere præsumunt, in  
quo ex parte Regis stetit victoria, sed  
Cadmæa, plures siquidem ex Regiis, quàm  
ex parte rebellium ceciderunt.

✽(1568.)✽ Pax octennis componitur  
inter Maximilianum Romanorum & Sely-  
mum Turcarum Imperatores.

Carolus Princeps Hispaniæ à Philippo  
Patre in vincula coniectus moritur, ferunt  
eum de Patris nece cogitasse, & de regno  
occupando.

Maria Regina Scotiæ elapsa ex carceri-  
bus, in quibus detinebatur in arce Levi-  
ni, fugit in Angliam ad Elisabetham: sed ubi  
fugæ præsidium quærebat, ibi in duriores  
incidit carceres, ab Elisabetha detenta.

Dux Albanus in Belgio Comitem Æg-  
montium & Hornanum aliosque plures &  
præcipuos rebelles securi percuti jubet,  
& Ludovicum Nassovium, ac Guilhelmum  
Nassovium majoribus cladibus vexatos,  
toto Belgio exturbat.

Ericus Sveciæ Rex uxori legitimæ con-  
cubinâ superinductâ & coronata à Joanne  
& Carolo fratribus datur in custodiam,  
& Joannes à Proceribus Rex declaratur.

Hugo-



Hugonotti iterum in Gallia contra Regem insurgunt, cuius copiis præfuit Henricus Dux Andegavensis tunc etiam Odetus Cardinalis Castellonæus supplicii metu cum sua pellice transivit in Angliam, ut suorum causam apud Elisabetham cui gratiosissimus erat, accuratiùs promoveret. Parum etiam fuit hæreticis Franciæ, ab Anglis & Germanis sectariis auxilia postulare, siquidem etiam ad Selymum Turcam confugerunt, à quo tamen rejecti sunt.

✽(1569.)✽ Dira fames vexat Italiam.

Henricus frater Regis Galliarum & Ducor Catholicorum acie sectarios ad Jarnacum vincit & profligat. 94. vexilla in hoc prælio obtenta & a Rege transmissa ad Pium V. in Templo S. Petri suspensa sunt. Idem Pius V. auxiliares Catholicis mittit equites bis mille, pedites quatuor mille, qui iuncti copiis Henrici fratris Regis, iterum Sectarios majori strage, quam priùs affecerunt, cæsis Hugonottorum duobus de viginti millibus.

In Anglia quoque res Catholicorum graviter perturbantur, dum pugnare potius quam pati maluerunt Catholici.

Rebellant etiam Mauri in Hispaniâ, sed hæ turbæ Ducis Acocosi sapientiâ brevi compositæ sunt.

Cosmas

Cosmas Medicæus Florentiæ Dux ob præclara sua merita de fide Catholicâ à Pio V. Magnus Hetruriæ Dux denominatur, & Coronâ Regali donatur.

✽(1570.)✽ Maximilianus Imperator duas filias nuptui tradit, Elisabetham Carolo Galliarum, & Annam Philippo Hispaniarum Regi, contra hanc Catholicorum Principum conjunctionem frementibus hæreticis.

Jacobus Nothus Moraviæ in Scotiâ Comes sceleratus tot in regno tumultuum excitator & promotor cæditur à Jacobo Hammiltonio, cujus familiam persequebatur, & trajectus glande plumbeâ inter blasphemias voces animam impiam efflavit. Fugit proinde Hammiltonius in Galliam, ubi Catholicus factus, egregiam Carolo Regi operam præstitit.

In Gallia hæretici modò victi & modò victores pacem cum Rege ineunt.

Selymus Nicosiam Cypri Metropolim expugnat, & Famâ Augustam obsidet, dum interim Pius V. sacrum foedus cum Philippo Hispaniarum Rege & Venetis promovet.

Ignatius Acebedius cum aliis 38. de Societate Jesu in Brasiliæ conversionem pergentibus à piratis Calvinistis odio fidei occiditur.

H

DE-



## DE CAS VIII.

✽ (*Ab anno Christi 1570. ad 1580.*) ✽

1571. **F**ama-Augusta post obsidionem  
 ✽ undecimestrem Turcis deditur  
 certis conditionibus, quas tamen Turcæ  
 irritati ob 80. millia suorum in illa obsidio-  
 ne amissa servare recusarunt, Christianis  
 in suam potestatem redactis, aut trucidatis,  
 vel ad triremes relegatis. M. Antonius  
 Bragadinus frustra tentatus ad eju-  
 randam religionem vivus excoxiatus est.  
 Sævitum deinde in reliquos Duces ac mi-  
 lites atrociter.

Interea Pius V. Pontifex concluderat &  
 promulgaverat fœdus Christianorum Prin-  
 cipum contra Turcas, electusque est in  
 Generalem classis Imperatorem Joannes  
 Austriacus filius naturalis Caroli V. & fra-  
 ter Philippi Regis. Hic igitur ad Echina-  
 das Insulas cum Turcicâ classe magno ar-  
 dore congressus per quatuor horas præli-  
 um acerrimum committit, & tandem pa-  
 trocinio Beatissimæ Virginis, quam Pius  
 V. in Patronam hujus expeditionis elegerat,  
 mutato derepentè vento & tormen-  
 torum

torum fumo in oculos Turcarum relato, memorabilem de iis victoriam reportat: In cuius perpetuam memoriam diem hunc annuâ solennitate Pontifex celebrare decrevit, sub nomine *S. Mariæ de Victoriâ*. Turcarum cæsi sunt 30 millia, capti tria millia & quingenti, & Duces ferè omnes perièrunt: captæ naves Turcicæ 17, triremes 15, biremes 13, quinquaginta tantum evaserunt, cæteris aut ad scopulos allisis, aut inflammatis: Quindecim millia subducti sunt remo, & res Christiana erecta est; quâ victoriâ si usi fuissent Christiani, vires Turcarû penitus attrivissent: enim verò jam Turcæ de relinquendâ Constantinopoli cogitabant, tantum hæc Naupactina victoria metum incusserat.

Tyberis insanâ exundatione urbem deterreret: iussit proinde Pius Pontifex per quendam Archi-Episcopum Agnum Dei cereum in flumen projici, quo facto flumen statim detumuit, & retrocessit.

In Scotia crudeliter sævitur in amicos Mariæ Reginæ, quos inter Joannes Hamiltonius Archi-Episcopus Sant-Andreas è patibulo suspensus est, non aliâ de causâ, quàm quòd in Reginam & religionem bene affectus esset.

✠(1572.)✠ Pius V. piè, ut vixerat, mori-

H 2

mori-

moritur, anno ætatis suæ 68. post gravissimos calculi dolores patienter toleratos : Cui sufficitur Hugo Boncampagnanus, Bononiensis, dictusque est Gregorius XIII. qui expeditionem Principum Christianorum contra Turcas magno quoque conatu profecutus est, ejusque adhortatione ingens classis Christianorum parata est, sed hæc cunctatione fœderatorum optato effectu caruit.

Parisiis nuptiæ Henrici Regis Navarræ cum Margarithâ sorore Caroli IX. Regis Galliarum celebrantur, quarum occasione præcipui Calvinianæ sectæ fautores è medio sublatis sunt jussu Regis, & ipse Rex Navarræ, & Princeps Condæus periculo erepti fidem Catholicam postea amplexi sunt. Occisi sunt illis diebus 3000 Hugonottorum intra Parisios, cœpit autem cædes die Dominico, festo S. Bartholomæi, ex conditio ad sonum Sancti Germani Antifiodorensis inchoata, unde dicta est cædes illa *Matutine Parisienses*, quia summo manè incepta est. Primus cæsus est Colinius Archithalassus, tractus à pueris per plateas, & in Sequanam fluvium projectus: eundem casum subiêrunt alii præcipui plures ex Calvinistis, multi tamen effugere. Excusavit autem Carolus hoc factum suo

suo edicto, negavitque, eos ut hæreticos multatos esse, sed ut rebelles.

Rudolphus primogenitus Maximiliani Cæsaris eligitur in Regem Hungariæ.

In Galliâ Hugonotti iterum arma capessunt, & Regem compellunt ad obsidendam Rupellam Montalbanum, & alias urbes hæreticorum, quæ Regis jugum insolenter & ferociter excusserant, & auxilia ab externis Principibus & potissimum ab Elisabetha postulaverant. Præmisit prius Rex Rupellam Lanovium, ut eam ad obsequium revocaret, sed hic cum videret obstinatam, ex sequestro factus est propugnator, & eandem defendendam suscepit contra Regem, prævaricatione apud perfidos hæreticos non adedè turpi.

Godefridus à Valle ex Calvinista Atheus Parisiis exurit, qui in libro *De Arte nihil credendi* dixerat, oportere eum prius Calvinistam fieri, qui Atheus esse velit.

In Belgio occasione indictæ ab Albano Duce in belli sumptus partim decimæ omnium rerum mobilium, & vigesimæ immobilium, multæ urbes ab Imperio regio deficiunt, præcipuè Duce Guilhelmo Aurantio, atq; imprimis Holandia & Zelandia alienatæ munitissimæ duæ Provinciæ, confluentibus in auxilium rebellium ex Angliâ, Ger-

maniâ, & Galliâ sectariis; sed Albanus copias pariter ex Germaniâ evocans, urbes aliquot recepit, & clades multiplices rebellibus intulit.

✽(1573.)✽ Henricus Caroli Regis Galliarum frater Rupellas, nidum hæreticorum oppugnat, sed nuncio accepto de sui electione in Regem Poloniæ, solvit obfidionem, & è Galliâ factò itinere per Germaniam in Poloniam venit, & Cracoviæ in Regem coronatur. Pax interim data hæreticis in Galliâ, exceptâ Sancerrâ, quæ tamen ipsa post dirissimam toleratam famem Regi tandem se se submitit.

Joannes Austriacus regnum Tunetanum in Africâ alias à Carolo V. occupatum, & postea deperditum iterum occupat.

✽(1574.)✽ Cùm Dux Albanus etiam malè audiret in Hispaniâ, & ejus jussu in Belgio carnifices jam decem millia hominum cecidissent, revocatus est in Hispaniam, ei que substitutus in gubernio Ludovicus Zuringa Requesenius, Dux Cefanus, qui egregiam in bellis Granatensi & Tunetano operam navarat, & nuper in Africa Joannis Austrii Legatus fuerat, qui sectarios iterum tumultuantes fortiter quidem profligavit, Lugdunum autem Batavorum frustra oppugnavit.

Sinan

Sinan Bassa cum classe Turcicâ Tunetum appellit, & expugnato propugnaculo Tunetano, cæsoque Hispanico præsidio regnum illud recipit.

Joannes Moldaviæ Waiwoda perfidè à Turcis cæditur. Selymus autem, cum ultiores progressus in Europam animo volvit, apoplexiâ tactus occumbit, cui filius ejus natus maximus successit, Amurathes III. dictus, annorum 27. Qui à nece quinque juniorum fratrum Imperium auspiciatus est.

Carolus IX. Galliarum Rex moritur, quo audito frater ejus Henricus Rex Poloniæ clam noctu cum paucis Gallis Cracoviâ evasit, & citatis equis per Moraviam, Austriam, Venetias in Galliam venit.

✽(1575.)✽ Jubilæum celeberrimum Romæ magnâ pietate, prudentiâ & charitate Gregorii XIII. Pontificis celebratur, tanto accursu, ut à Natalitiis Christi ad Pentecosten in Xenodochio SS. Trinitatis excepti, & aliquot diebus honestè refecti peregrini 96348. Et cum in Italia atque Sicilia pestis grassaretur, nullus est in urbe repertus, qui eâ afflaretur.

Henricus III. Rhemis in Regem Galliarum inauguratur, Polonis in locum Henrici eligentibus aliis Maximilianum Imperatorem



ratores, aliis Stephanum Bathorium Transylvaniæ Principem; dum Maximilianus in conditione præstandi juramenti cunctatur, Stephanus celeriter potitur regno, ductâ in uxorem Annâ Sigismundi Augusti sorore.

Rudolphus filius Maximiliani coronatur Pragæ in Regem Bohemiæ & deinde in Regem Romanorum Ratisbonæ.

Congregatio Oratorii Ordinis a S. Philippo Nerio instituitur Romæ.

Maximilianus Princeps in Belgio frustra tentat pacem cum Geusiis, tam absurda illis petentibus, ut quævis potius bella & damna subeunda viderentur.

Turcæ Russiam, Tartari Podoliam, Cossacci Tartariam Procopensensem vastant.

Hæretici Belgæ confederati auxilium Elisabethæ Reginae Angliæ implorant & impetrant.

✽(1576.)✽ Pestis atrocissima per Italiam grassatur, quo tempore singularis S. Caroli Borromæi pietas eluxit, qui suis Mediolanensibus & in peste servivit, & pauperiores bonis adjuvit, & precibus à multis pestem avertit.

Dux Alenzonius ex Germaniâ in Galliam exercitum ducit, cum quo Henricus Rex mediante matre Catharinâ turpem pacem

pacem init, per eam enim hæretici obtinuerunt, quæ hætenus in Gallia extorquere non poterant. Unde hæc pax vehementer displicuit Catholicis, qui proinde inter se fœdus ineunt pro tuendâ Orthodoxâ religione, cujus fœderis ipse Rex postea se caput professus est.

In Belgio sub Requesenio, mitioris ingenii viro res magis turbantur, quàm turbatæ fuerunt sub Duce Albano; unde Philippus Rex didicit, adversus hæreticos mollibus & inermibus conciliis nihil esse deterius. Interea mortuo ex peste Requesenio venit in Belgium Joannes Austriacus ad illarum Provinciarum gubernationem, sed hic quoque spretus est: eo enim invito fœderati Gandavum convenerunt, & Hispanos hostes Belgii declararunt, Ordinibus administrationem commiserunt, Arausicano Zelandiæ & Hollandiæ Præfecturam, sub nomine tamen Philippi, & religione Catholicâ ubique stabilitâ sublatis tantum pœnis ab Albano in heterodoxos statutis; His conditionibus delusi Belgæ nullo negotio sese fœderatis adjunxerunt, etiam Ecclesiasticis huic fœderi initio turpiter subscribentibus.

Maximilianus Imperator serò nimis Pœloniam sibi vendicare cupiens, ex dolore  
H s

calculi

calculi & palpitatione cordis obiit Ratisbonæ, cui filius ejus Rubolphus II. successit, annos natus 25, & jam Imperii Candidatus.

✱(1577.)✱ Joannes Austriacus in Belgio summâ usus comitate arces aliquot præfidiis evacuat, & Hispanos amandat in Italiam, pacemque edicit, sed frustra: quamvis enim his Belgæ contenti esse viderentur, milites tamen iterum conscribunt, & Mathiam Archi-Ducem Austriæ, Rudolphi Imperatoris fratrem ad suscipiendum regimen evocant, eique Antwerpianam venienti juramentum præstant, sed creato Legato Principe Aurantio, ut nudo Principatus nomine Mathiæ relicto, Aurantius ad libitum omnia disponderet: quin & Joannem Austriacum comprehendere constituerant sectarii, unde fugâ Namurcum se recepit, & inde evocatis ex Italiâ copiis ad bellum se paravit.

In Gallia quoque hæretici stare recusantes statutis Comitiorum Blesensium, res novas contra Regem moluntur, & ad arma convolant, evocato Casimiro, & externis auxiliis imploratis; brevî autem Rex immisissis suis Ducibus in rebelles, ad pacem eos coëgit, quam pacem suam esse, Henricus dicere solebat, quia Catholicis magis proficua fuit, quàm hæreticis. Ste-

Stephano Rege Poloniæ Dantiscum ob-  
sidente ( urbs enim illa propter nova por-  
torii onera imposita rebellabat ) Moschus  
Livoniam vastat.

✽(1578.)✽ In Belgio Joannes Austria-  
cus corroboratus jam auxiliaribus copiis  
Duce Octavio Parmensi insignem de Geu-  
siis victoriam reportat, cæsis illorum pro-  
pè decem millibus, captis plurimis ur-  
bibus, etiam quibusdam in Brabantia dedi-  
tionem facientibus. Verùm vires resu-  
mentes Geusii Ambsdelodamum interci-  
piunt, ibique in res sacras ac sacerdotes  
crudeliter sæviunt, omnibus Catholicæ  
religionis insignibus dirutis & extermina-  
tis. Geusiorum deinde rem plenius resti-  
tuit Alenzonius Dux, qui Belgio inhians,  
iisdem mille equites, & octo millia pesti-  
tum obtulit: sed & Joannes Casimirus ex-  
citatus Elisabethæ Reginæ Angliæ pecu-  
niis plurimum Hispanis nocuit: Sic Arau-  
ficani & Geusiorum crevit potentia, qui  
exinde templa Catholicorum ubique de-  
struunt, & carceres Catholicis implent.  
Tunc autem injecta est aliqua mentio pa-  
cis, ad quam tractandam Cæsar Rudolphus,  
Henricus III. Galliæ Rex, & Elisabetha  
Angliæ Regina suos Legatos misere. Cum  
verò Joannes Austriacus nollet aliam reli-  
gionem

gionem in Belgii Provinciis admittere, re infectâ discessum est. Nec multò post Joannes Austriacus in castris propè Namurcum intempestivâ morte extinguitur, eiq̄ue in officio succedit Alexander Farnesius Dux Parmensis, inter Belli-Duces sui sæculi facilè Princeps.

Sebastianus Rex Lusitanix, dum zelo Christiani nominis promovendi regna Fessæ & Marocii Mahometi, quem Abdelmuchus expulerat, restituere instituit, & in Africam trajicit, exponensq̄ue militem suum in campis Tunetensibus cum hoste congreditur, hostium Maurorum numero obrutus ac cæsus cum flore nobilitatis Lusitanicæ perit.

Hoc eodem anno in Japoniâ à Patribus Societatis Jesu baptizatus est Rex Bungi, voluitq̄ue ex devotione erga S. Franciscum Xaverium dici Franciscus.

✱(1579.✱ Gregorius XIII. Romæ ac Rhemis Anglorum collegia fundat.

Henricus III. Gallix Rex in memoriam, quòd in festo Pentecostes duo regna adiisset, Polonorum & Francorum, instituit Ordinem S. Spiritus.

Viget bellum inter Stephanum Barthorium Regem Polonix, & Joannem Magnum Ducem Moschovix,

Alexan-

Alexander Farnesius sectariorum equitatum prosternit, & magna clade expugnat Trajectum, multis post hoc aliis urbibus deditionem facientibus.

Elisabetha Regina Angliæ crudelissima in Catholicos & Sacerdotes præcipuè edita divulgat.

Persæ Amurathis & Tartarorum auxilantium exercitum delent.

In Sicilia mons Æthna per quinque apertos crateres, post graves terræ concussiones ac fremitus quinque, igneos rivos eructavit, jactis lapidibus ignitis prægrandibus, qui ultra visum ferebantur in sublime, & magno impetu decidebant.

Post mortem Sebastiani Lusitaniæ Regis Henricus Cardinalis Presbyter, frater Joannis III. filius Emmanuelis, annos natus 66 successit; sed cum infirma valetudo huic paucos annos sponderet, de hoc regno varii agere cœperunt, & lis inter competitorum regni Lusitanici adhibitis præstantissimis quibusque Legulejis agitata, Philippus autem Hispaniæ Rex jus suum in armis quærere & tueri instituebat, validis copiis conscriptis, quæ omnibus Juristarum disputationibus fortiores & efficaciores essent.

✽(1580.)✽ Henricus Cardinalis Rex  
H 7 Lusit.

Lusitaniæ moritur, igitur nunc vehementissimè de regno litigatur. Antonius Emmanuelis nepos & Ludovici fratris Henrici filius Nothus Crati Prior favore plebis regia sumit insignia, sed Philippus Rex Hispaniæ duplici missio in Lusitaniam exercitu Antonium gemino prælio vincit & fugat, regnoque Lusitaniæ potitur. Cum Antonio stetere multi monachi manus ei & arma conferentes, sanctius in suis templis & cellis oraturi. Victus porrò a Duce Albano Antonius quocumque diffugeret nupiam tutus fuit, cum in caput ejus octuaginta millia aureorum pronunciata essent, tot ergo militibus ad eum quærendum intentis nunquam tamen inventus est, apud monachos & nobiles subinde mutatis vicibus absconditus.

In Belgio Guilielmus Princeps Auran-  
tius a Rege Philippo proscribitur, in caput  
ejus 25. millibus aureorum constitutis.  
Igitur sectarii Belgæ rebus suis consulturi  
Alenzonium fratrem Regis Henrici & Re-  
gem ipsum contra Hispanum sollicitant,  
quæ cum videret Mathias Austriæ Archi-  
Dux de Belgio deserendo cogitavit, repe-  
titis tamen sumptibus, quos impenderat,  
qui etiam eidem, quamvis malignè, suf-  
fecti sunt, assignatis pensionibus in bona  
Eccle-

Ecclesiasticorum, ut disceret hæreticis & rebellibus famulari, quorum præmia essent sacrilegia. Interim Farnesius complures urbes Sæctariis eripit, hostibus variis victoriis cæsis.

Hispani cum Italis in favorem Catholicorum Hiberniam occupant sed ab exercitu Anglicano profligantur & toto regno expelluntur.

Hoc anno missus est Lovanium Franciscus Tolettus è Societ. Jesu postea Cardinalis, vir magni ingenii & prudentiæ, ut ageret cum Michaële Bajo Academiæ Lovaniensis Decano, qui multa fidei non satis consona asseruerat, & à Pio V. & à Gregorio jam damnata, hunc hominem doctissimum licet ita Franciscus convicit, ut daret manus, adeo ut Bajus potius errasse, quam hæreticus fuisse dicendus sit, cujus primi magistri sui ( fuit enim Bajus Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Præceptor ) si exemplum secuti essent Janseniani non tantas in Ecclesia Dei tempestates & toties excitassent.

Stephanus Bathorius Poloniæ Rex feliciter contra Moschum pugnat & multas arces Livoniæ occupat.

Rediit hoc anno in Angliam Franciscus Dracus qui anno 1577. Plimutho cum 5. navi-



navibus solvens Brasiliam, & inde transitu Magellanico freto Peruvia & Mexici litora ut pirata vexarat. Adeo dives erat, ut navim suam unicam ex reliquis superstitem argento saburrarit. Creatus est Eques a Regina, & navis ejus ad memoriam juxta Depfordiam ad Tamesin fluvium servata est, nimirum orbis circumnavigati illustre monumentum.

#### DE JOANNE STURMIO.

**A**Nno 1578. Argentina conatus est novam Sectam inducere, quam vocabat viam mediam eamque novam sine Catholicorum & Protestantium offensione, *Et ea de causa petiit ex singulis decem Imperii Provinciis septenos convocari ex eorum numero qui sine partium offensione scripserunt, ut à septuaginta convocatis statueretur concordia admittendo ex Concilio Tridentino quod illi probarent, & hominibus gratum futurum esse judicarent, cetera autem rejiciendo.*

#### RAMI DIVERSI EX LUTHERI SECTA PULLULANTIUM SECTARIORUM.

**JENENSES.** Est Secta Lutheranorum quae Ducum Wimarensium Confessionem amplectitur.

**JUSTIFICATORII.** Lutherani sunt qui justificationem nostram constituunt tantum in remissione.

missione peccatorum & reconciliatione cum Deo, sunt autem circa hoc caput de justificatione teste Osandro supra viginti opiniones Lutheranorum, ita ut fere omnes dici possent Justificatorij.

**PASTILLARII.** Sic vocati sunt quatuordecim ministri Sveciæ qui in commune adversus Oecolampadium scripserunt: sic dicti quia docebant Christum in Eucharistia presentem esse eo fere modo quo farina est in Pastillo, aut pilula in ovo recondita.

**INTERIMISTÆ.** Ii sunt qui Augustanum Interim cum Lutheranismum copularunt.

**ADIAPHORISTÆ.** Qui cum Lutheranismum conjunxerunt Interim Lipsiense, & docuerunt rem esse indifferentem Ecclesiæ Cere- monias & Constitutiones Conciliorum observare.

**ANTIAPHORISTÆ.** Neque Pontifici ullam jurisdictionem neque Conciliis tribuebant & Cere monias prorsus avversabantur.

**ANTI-LUTHERANI.** Omnes illi dicuntur, qui Lutheri doctrinam seducti illum tamen deseruerunt, & opiniones contrarias docuerunt, ut sunt omnes Sacramentarii in varias quoque sectas divisi.

**SEMI-LUTHERANI, LUTHERO-PAPISTÆ, LUTHERO-ZWINGLIANI, LUTHERO-CALVINIANI & LUTHERO-OSIANDRIANI.** Hac nomina illis communia sunt, qui cum Lutheri dogmate alia dogmata

mata

mata falsa consuerunt, & eorum quidem quorum nomina exprimentur in harum sectarum nomenclatura.

**BELLIANI.** Hos Bellius Montfortius progenit, qui præter alios tum Calvinum tum Lutheri errores scripsit, hæreticos contra Calvinum doctrinam non esse occidendos.

**HESHUSIANI** sive **HESHUSII.** Sic dicti à Tilmanno Heshusio, qui partim Calvinismum, partim Arianismum sectabatur.

**BOCQUINII** sive **BOCQUINIANI.** Horum parens Bocquinius fuit, qui docuit Jesum Christum non esse pro omnibus hominibus crucifixum, sed tantum pro fidelibus & probis & hos solos ipsius corpus manducare.

**RICHERIANI.** Horum Dux Petrus Richerius ex Carmelita factus minister Calvinianus, cum à Calvino missus esset in Floridam prædicavit, & propugnavit Jesum Christum in carne sua humana non esse adorandum, ne terrenum elementum adoretur, licere illum adorare ut Deum non autem ut hominem. Itaque nec Christum orandum esse, sed solum Patrem divinum orari debere.

**CAMPANISTÆ.** Ita dicti auctore Joanne Campano, qui Personam Filii & Spiritus S. non distinxit à Persona Patris & circa cenam Dominicam non solum à Luthero, sed etiam à cæteris Sacramentariis diversum errorem docebat.

HAM.

**HAMSTEDII.** Sic dicti ab Adriano Hamstedio ex Zelandia in Angliam profugo, putabat hic cuique liberum esse infantes per aliquot annos absque baptismo servare, & non esse fundamentum religionis Christiana sed tantum fundamenti circumstantiam credere IESUM Christum ex semine feminae natum, ac nostrae carnis ac humanitatis factum esse participem.

**SCHWENCKFELDIANI.** Sic dicti auctore Caspate Schwenckfeldio, cujus praecipua haec fuerunt somnia, primò verba illa Sacramentalia per mirabilem transpositionem carnificabat, ut sensus esset Hoc est Corpus meum, meum Corpus est hoc, vel hic panis. Secundò fidem agebat non scripturae sed scripturam fidei accommodandam esse. Tertio IESUM Christum suum corpus attulisse de caelo. Quarto humanam Christi naturam non esse creaturam Dei, sed genituram Spiritus Sancti, ita ut inter Creatorem & creaturam fuerit medium quid, post ascensionem autem Christi eadem natura effecta fuerit Deus. Quintò dicebat homines formaliter virtutibus praeditos aut virtuosos esse eisdem essentialibus virtutibus quibus Deus virtuosus est, adeoque esse Deos & divinam habere naturam. Sextò energiam quae in verbo Dei praedicato inest, esse ipsum Filium Dei & Verbum.

**ANTI-SCHWENCKFELDIANI.** Haec Secta in omnibus contraria Schwenckfeldianis, uni-

universum fidei Christiani negotium constituerebat in ministerio verbali suorum ministrorum.

**NUDIPEDES QUI ET SPIRITUALES AC SEPARATI.** Sic appellati ob suum vivendi modum, cum enim in Moravia haberi vellent vite Apostolicæ sectatores omnia reliquerunt & omnibus communia faciebant, reliquisque domibus, liberis & negotiis suis per agros vagabantur, à calceis abhorrebant, & populi aestimationem cum cibis & armis detestabantur.

**MENNONITÆ QUI ET TIBBÆ AC MALIAPI DICTI.** Nomen habent à Mennone Simonis Frisio, qui præter errores circa baptismum docebat Jesum Christum non sumpsisse carnem ex virgine, sed corpus suum de cælo, hoc est de Substantia Patris æterni attulisse.

**LIBERI.** Anti-Latherani sunt & Anabaptistæ, dicunt se emancipatos esse ex Principum potestate decimis & censibus, & matrimonia inter fratres dicunt esse spiritualia, adeo ut uxores haberent communes, neque permitterent conjugale debitum maritis reddere, si non eidem sectæ nomen darent, dicunt post baptismum neminem peccare posse, sed solam carnem esse, que peccet, tantæ sunt superbiæ ut non solum similes se Deo, sed etiam Deificatos nuncupent.

**HUTITÆ SATORE JOANNE HULTO.** Dicebant se corporaliter etiam esse populum Israëliticum, & Chananæorum exterminatores

tores, somniabant prope esse diem iudicii & ideo omnia in epulas expenderunt, ad incitas & stipem redacti, frustra venturum Iudicem prestituto die expectantes.

**AMBROSIANI** sive **PNEVMATICI**. Dicitur ab aliquo Ambrosio qui sui spiritus suggestiones super utrumque testamentum iactabat.

**AUGUSTINIANI**. Sic dicitur à quodam Sacramentario Augustino Qui inter alia mendacia effutiebatur, cælum nondum esse apertum illud hominibus usque ad ultimum iudicii diem clausum manere.

**MELCHIORITÆ**. Horum parens est Melchior Hofmannus, tam projectæ audaciæ ut blasphemaret IESUM Christum ex Virgine carnem non sumpsisse, sed traxisse ex seipso & unam tantum esse in Christo naturam. 2. eum qui acceptâ gratiâ voluntariè peccat, nunquam recipi in gratiam. 3. Salutem in nostris viribus sitam esse. 4. Corporeum IESU Christi Regnum fuisse.

**MONASTERIENSES**. Ii sunt qui Joannem Bockeldi Leidensem ex sartore ac sordido institore creatum Regem Monasterii in rebellionem secuti sunt, quam urbem novam Sion aut Jerusalem novam nuncuparunt, seque cælestis Hierosolymæ cives iactarunt. Verba Christi Domini Hoc est Corpus meum in sua cena

in hac verba commutârunt. Accipe frater,  
Ede, memento Domini.

**CLANCULARII SIVE FRATRES  
HORTENSES.** Sunt Anabaptistæ qui licere  
sibi putant, si interrogentur de sua fide, eam  
negare, & satis esse quod ipsi privatim & Clancu-  
culum sciant, quid ipsi credant: in Ecclesiis  
non conveniunt, plerumque in hortis unde fra-  
tres Hortenses dicti, & sunt ex illis aliqui ita  
secreti, ut occulti occultorum nominentur.

**MANIFESTARII.** Sunt oppositi Clancu-  
lariis & omnibus modis quærent se manifestare  
quod sint Anabaptistæ.

**BACULARII SEU STEBLERI.** Nefas  
existimant accusare quenquam in iudicio, &  
præter baculum arma alia ferre, cum scriptura  
prohibeat ne gladium aut peram portemus.

**SCRIPTURARII.** Solam scripturam pro-  
fitentur & clamant omnia alia scripta rejicien-  
tes, aliqui se Paulinos vocant, qui Epistolis  
S. Pauli tenacius adherent, & studium suum  
in illis collocant.

**OLLARII.** Illi Anabaptistæ sunt, qui non  
conveniunt inter se nisi ad mensas epulis instru-  
ctas, quâ consuetudine citò consumuntur &  
dissipantur.

**BATEMBURGICI.** Dicti à quodam mi-  
lite vago Batemburges cognominato, à quo edo-  
cti sunt plus omnibus aliis in res sacras servire  
& Sacrilegiis omnia replere. PA-

## PACIFICI VEL PACIFICATORES.

Sunt qui se pacis amatores jactant, & tam diu eam servant, donec potestatem in aliorum bona aut corpora acquisiverint, & suam Cabalam vecant Dominum pacis.

PASTORICIDÆ. Quæ oliis Anabaptistis crudeliores in presbyterorum & pastorum Ecclesiæ vitam conspirant & in neces trahunt.

SANGUINARIJ. Bibunt humanum sanguinem ut se obstringant ad sua sacrilegia exequenda.

ÆGIDIANI. Dicti à quodam Ægidio Aquensi qui ex rebaptizatione questum faciebat, ideoque ab aliis Anabaptistis excommunicatus & supplicio affectus est.

ANTI-CHRISTIANI. Illi Anabaptistæ sunt qui audacius blasphemant in Christum, quorum Dux Præmonstratensis quidam apostata, qui aiebat Jesum Christum damnatum esse, eo quod in cruce desperaverit, in saniebat etiam alium Messiam cum Judæis expectandum esse, cum ille Messias qui Christus erat, damnatus sit, & quidem illi qui huic nebuloni adherabant, expectantes alium Messiam, meretricem Lovaniensem nudam adorabant, Anti-Christum ex ea nasciturum buccinantes.

DÆMONIACI. Fingunt Dæmones in fine mundi esse salvandos, ideo Satanam adorant, & decies in die invocant.

ANTI-



**ANTI-DÆMONIACI.** Hi negant ullum esse demonem aut malignum spiritum, aut præstigias vel maleficia ulla, quod sensisse scribitur Georgius David & Andreas Osiander.

**SABBATHARII.** Hi neglecto die Dominico more Judaico diem Sabbathi colunt, & solum Deum Patrem invocant, neque filium neque Spiritum Sanctum adorantes.

**COMMUNIA HABENTES.** Anabaptistæ sunt quibus uxores & liberi & omnia inter se communia sunt, Platonis aut Nicolaitarum rempublicam instaurantes.

**CONDORMIENTES.** Anabaptistæ sunt qui suæ turpitudini Charitatem Evangelicam prætexentes, pueros & Puellas & fœminas & viros indiscriminatim in eodem cubili condormire jubebant seque mutua hac Charitate fovere.

**EJULANTES.** Anabaptistæ sunt, qui hanc Deo gratissimam dicunt adorationem esse & devotionem semper lacrymari & ejulare.

**SIGNIFICATIVI.** Sunt ii Sacramentarii qui in Eucharistia dicunt nihil esse corporis & sanguinis Christi nisi per signum.

**TROPISTÆ.** Sacramentarii sunt qui dicunt Christi corpus & sanguinem non esse in Eucharistia nisi figuratè, & docent Verbum divinum esse in carnem conversum.

**ENER-**

**ENERGICI.** Inter Sacramentarios illi sunt qui docent in Eucharistia non esse Corpus Christi Domini nisi per Energiam sive virtutem.

**ARRHABONARII.** Hi credunt Eucharistiam sibi dari tantum ut Arrhabonem seu pignus corporis & sanguinis Christi, & quasi investituram donati prædii alicujus aut domus.

**ADESSENARII.** Dicunt Corpus Christi esse in pane, alii dicunt circa panem, & deniq; esse cum pane.

**METAMORPHISTÆ SEU TRANSFORMATORES.** Dicunt Corpus Christi post ascensionem ejus in cælum Deum esse factum. Unde communis illis hæc propositio. Corpus Christi est Deus.

**ISCARIOTITÆ.** Negant Judam in ultima cæna sumpsisse corpus Christi.

**LAICOCEPHALI.** Horum denominatio orta est à Schismate Anglicano, in Anglia enim carceris primùm pœna, deinde bonorum omnium publicationi, ac demum morti adjudicatus est, qui confiteri nolisset Regem aut Reginam regnum administrantem esse caput Ecclesie immediatè post Jesum Christum, tam in causis spiritualibus quàm in temporalibus; præcipui hujus hæresis defensores fuerunt Samson & Morisonus.

**NEUTRALISTÆ.** Sacramentariorum classis est, quæ sibi persuadet, non esse necesse

communicare sub una vel sub utraque specie, sed satis esse fidem habere, quin imo si decerneret Concilium sub utraque specie communicandum esse, tunc debere Laicos sub altera tantum communicare. Unde factum est ut eorum multi per decennium imo etiam per totam vitam à communione abstinuerint.

**MANUSIMPOSITORII.** Sic dicti sunt Rigidi Confessionistæ ex eo quòd putant impositionem manuum à Laicis factam esse Sacramentum.

**BISSACRAMENTALES, TRISSACRAMENTALES, QUADRISACRAMENTALES.** Prima sic nominatorum secta docet esse tantum duo Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, sic multi Calvinistæ & Rigidi Confessionistæ. Secunda admittit præter baptismum & Eucharistiam Sacramentum absolutionis. Sic multi molles Confessionistæ ac præcipuè Lipsienses. Tertia secta his tribus Sacramentis quartum adjungit nempe Presbyteratum, sic molles Confessionistæ, Wittenbergenses præsertim.

**SEPULCHRALES.** Hi negant descensum Christi ad inferos secundum animam, & dicunt tantum descendisse secundum corpus, quiescendo in sepulchro, inferni nomine sepulchrum interpretantes. Sic interpretatus est Beza.

**INFERNALES.** Hoc nomen impositum est

is, qui tuentur IESUM Christum descendisse, usque ad locum damnatorum & ibi pœnas inferni tolerasse, sic Smidelini & multi Calvinistæ.

**INVISIBLES.** Crediderunt nullam esse Ecclesiam Visibilem, sic Illyricani, Osiandriani, Schwenckfeldiani.

**BIBLISTÆ.** Hi in Scholis, templis, domibus nihil prælegendū & discendum esse dicunt præter nudum textum scripturæ, nec opus esse ullā alterius cujusvis doctoris explicatione, cum omnes simus à Deo edocti.

**POENITENTIARII.** Sunt molles Confessionistæ qui circa pœnitentiæ Sacramentum varios errores sectantur.

**ATHEI & EPICUREI.** Hic scopus est ultimus quem Satan spectat dum hæreses disseminat, ut tandem vel in Epicureorum vel in Atheorum abyssum dejiciat animas cæcæ distractionis ac luxûs pondere gravatas, sic Hedion de suis prætentis Evangelicis queritur, & scribit. Satanam Callidum huc multos agitare, ut dum summâ inconstantiam jam hoc jam illud credunt cæcâ quadam distractione posthæc nihil prorsus credant, & in populum Afotiorum evadant. Afotii autem sunt apud Græcos iidem qui apud Latinos decoctores, & homines nihili ac nullius frugis qui luxu ganeaq; studio perditam omnia sua abligurterunt.



## DECAS IX.

✽ (*Ab anno Christi 1580. ad 1590.*) ✽

1581. **A**Lenzonius ab Ordinibus confederatis vocatus, Cameracum venit, & præsidio firmat: quod ab Alenzonio Henricus Rex Galliarum se invito factum esse Pontifici & Regi Philippo scripsit. Petiit deinde Alenzonius Angliam spe conjugii cum Elisabetha ineundi. Verum illa sicut Alenzonium sic & alios multos Principes hac spe illudit, non ferens supra se virum dominari tanquam caput mulieris, quæ per extremam arrogantiam Caput Ecclesiæ se jactitabat, & supra omnem potestatem extollebat.

Joannes Basilius Magnus Dux Moschoviæ Stephano Barthorio Regi Poloniæ non valens resistere Pontificem Romanum implorat, ut arbitrum pacis se interponat. Mittit proinde Pontifex ad eum Antonium Possevinum è Societate Jesu virum eruditum, & rei gerendæ gnarum, cujus operâ inter Polonum & Moschum pax conclusa est iis conditionibus, quæ à prudentibus laudem, & à Pontifice confirmationem

tionem merebantur. Verum Moschus admonitus ut juxta promissa fidem Romanam ex Synodo Tridentina profiteretur, jam extra periculum constitutus dissimulavit, & Græcâ fide usus Græcum Schisma confirmavit. Idem Joannes Basilius Joannem filium suum ex iracundia baculo ferato interemit.

In Belgio alternant victoriæ inter Regios & confederatos Geusios, nunc his nunc illis vincentibus & victis. Demum Belgæ confederati in Comitibus Hagæ Comitibus Philippo suo legitimo Principi omnem fidem ejurant, & Franciscum Andegavensem Ducem, sibi Principem constituunt.

✱(1582.)✱ Franciscus Alenzonius ex Anglia rediens magno, applausu Antverpiæ excipitur, & Dux Brabantia ac Marchio Romani Imperii renunciatur, sed verè inani nominis umbrâ, quia reipsâ Aurantius omnia obtinebat. Contigit tunc eidem Aurantio, ut remotis à prandio mensis, à juvene Cantabro, qui eum occidere intendebat, aberrante scelopi ictu utramque maxillam trajiceretur, quod totum Alenzonio imputatum est, donec conscii facinoris rem astu cujusdam mercatoris peractam esse demonstrassent.

Juvenis autem è vestigio discerptus fuit, & consciis supplicia irrogata: Interea non destitit Parmensis ut aliquot levibus præliis urbes nonnullas recuperaret.

Antonius Nothus Emmanuelis Regis Lusitaniæ nepos Gallicis auxiliis conatur juris sui facere Lusitaniam, & quidem primo impetu occupavit insulam S. Michaëlis, ibique Rex acclamatus est, sed supervenit Marchio Sanctæ Crucis, & eundem navali prælio victum fugere ac in Galliam repetere compulit.

Scoti conspirant in Regem suum Jacobum eundemque in castro Rutheno detinent.

S. Theresia Virgo Ordinis Carmelitarum tam virorum, quam fæminarum reformatrix ex hac vita ad cœlestem migrat.

Gregorius XIII. Pontifex adhibitis mathematicorum consiliis & demonstrationibus ex Octobri mense dies 10. à quarto usque ad 14. detrahit, & æquinoctium vernalis ab undecimo Martii transfert ad vigesimum primum ut solstitia & æquinoctia ad veteres rationes, sedesque redirent, ac præterea in locum aurei numeri majorem numerum substituit, quem *Epactas* appellant, quo & Biffextis certis annis omissis lunæ ortus absque ullo errore

re perpetuò indicetur, sic emendatum cum Catholicorum Principum consensu promulgavit.

✽(1583.)✽ Franciscus Alenzonius, alias etiam Dux Andegavensis dictus, cum videret se precario tantum apud Belgas imperare, occupat Dunkerkam, aliaque minora quaedam loca, & praesidiis Gallicis ea firmat. Brugis autem excluditur, & Antverpiam repellitur magna clade magnoque damno, mille & quingentis suorum trucidatis, multis captis cum universa sua suppellectile & inglorius Belgio elicto in Galliam revertitur, qua occasione usus Farnesius totam Flandriam, vi aut deditioe confederatis eripit.

In Germania Gebhardus Trucksius Archi-Episcopus Coloniensis homo impius & impurus Confessionem Augustanam amplectitur, & connubium init cum Agnete Mansfeldica, sed a Gregorio Papa excommunicatus ac depositus expellitur, & in ejus locum a Capitulo eligitur Ernestus Bavarus, qui obnitente aliquamdiu pro Gebhardo Casimiro armata manu, tandem dioecesim pacifice possidet.

Jacobus Rex Scotiae captivus evolat ex rebellium manibus, & complures rebellionis mulctat.



In Anglia Elisabetha non tantum sævit in Catholicos, quos inter insignis fuit Edmundus Campianus è Societate JESU cum aliquot aliis Sacerdotibus, sed etiam in Puritanos, denegantes foeminam dici caput Ecclesiæ.

Eodem anno in insulis Salfetanis Rudolphus Aquaviva cum aliis quatuor de Societate JESU ab infidelibus martyrio afficitur.

Matthæus Riccius è Societate JESU primus in Sinas Evangelium infert.

\*(1584.)\* Franciscus Alenzonius ex Belgio redux, salutato Parisiis fratre Henrico Rege, moritur ad castrum Theodorici non absque suspitione veneni.

Wilhelmus Aurantius Delphis sclopi ictu à Balthasare quodam Burgundo, paulò antè in ejus familiam adscripto, occiditur, & in ejus locum ab Ordinibus confederatis substituitur Mauritius ejus filius, annorum circiter 18. quem ex Annâ Saxonicâ secundâ conjuge suscepit. Parmensis autem ex Flandriâ in Brabantiam progressus, Antwerpiam memorabili obsidione cingit, quâ ut commeatum prohiberet, Scaldim illabentem urbi fluvium, junctis catenâ navibus stravit superimposito ponte, qui 400. pedes latus  
firma

firma propugnacula excipiebat, licet hanc molem hostes variis artibus & machinis conati sint evertere.

In Anglia Dux Nortfolcius accusatus de procuratâ liberatione Reginae Scotiae, capite plectitur.

Inter Rudolphum Imperatorem & Turcas induciæ ad novem annos renovantur.

S. Carolus Borromæus splendor sacrae Purpuræ & speculum Antistitum Ecclesiae sanctissimè, uti vixerat, moritur.

✽(1585.)✽ Trium Regum Japoniæ, videlicet Francisci Regis Bungi, Protasii Regis Arimæ, & Bartholomæi Omuræ Legati Romam veniunt ad Gregorium Pontificem post trium annorum navigationem, confectis millianibus 21000, eumq; ut communem totius Christianitatis Parentem, & Universalis Ecclesiae Caput venerantur, quos Gregorius humanissimè ac splendidissimè excepit, sed non diu post moritur, anno ætatis suæ 83. Pontifex verè Maximus, pièntissimus, & gloriæ Dei zelantissimus, & qui vicies centena aureorum millia (ut ex publicis tabulis constat) in pauperes erogavit. In ejus locum successus est Felix Baretus Cardinalis, dictusque est Sixtus V.

In Gallia Catholici Principes & Proce-

I 5

res

res ligam & foedus sacrum ineunt, pro  
tuendâ religione Catholicâ adversus aca-  
tholicorum conatus.

In Belgio Parmensis Antwerpian toto  
anno obsessam ad deditioem compulit,  
quare Geusii ad extrema redacti, Belgii do-  
minium obtulerunt Elisabethæ, si eis opi-  
tularetur: Elisabetha auxilium promisit,  
sed dominium recusavit, eò quòd illorum  
non esset dare. Misit igitur Regina Comi-  
tem Lincestrix cum magno apparatu.

Contigit hoc anno Franci Draci in Ame-  
ricam excursio cum classe 21 navium, quâ  
ille Insulam S. Jacobi diripuit, in Hispa-  
niolâ urbem S. Dominici in continente  
Carthagenam, editis ubique sacrilegæ cru-  
delitatis exemplis: legit & Floridæ litto-  
ra, lustravit Virginiam, quæ Insula sic di-  
cta erat in gratiam Elisabethæ Reginae suæ  
innuptæ ab Equite Anglo Rikardo Grein-  
villâ.

In Anglia præter horribiles persecutio-  
nes Philippus quoque Hauvardus Comes  
Arundeliæ, primogenitus Ducis Norfol-  
ciæ, dum Angliam parat relinquere, Re-  
ginâ Scotiæ per litteras salutatâ, interce-  
ptus & in carcerem coniectus est, ter judi-  
catus, bis addictus neci, demùm bonis  
omnibus spoliatus est. Rex quoque Ja-  
cobus

cobus adnitente Elisabethâ iterum à con-  
juratis Sterlini obsessus & captus est.

Lapicida quidam fingens se anachore-  
tam, dixit se Sebastianum Lusitanum esse,  
& adscivit sibi ad septingentos fautores.  
Tandem autem captus ab Austriaco Cardi-  
nali Pro-Rege, è furca pependit, & ne  
Rex mimicus absque comitatu moreretur,  
habuit multos sui sectatores, ut fraudis, ita  
& poenae focios.

\*(1586.)\* Franciscus Dracus ab An-  
gliae Reginâ missus ad intercipiendam  
classem Peruanam, post Insulas aliquas de-  
populatas, & feroces per Archipelagus  
vagationes, praedâ magnâ onustus redit  
in Angliam.

Multi nobiles Catholici supplicio affi-  
ciuntur in Anglia ex falsa suspitione con-  
juratiōis contra Reginam: eoque præ-  
textu Regina Scotiae arctiore custodiâ de-  
tinetur, & iudicium de eâ instituitur,

Stephanus Bathorius Rex Poloniae glo-  
riosissimus moritur ex epilepticis paroxis-  
mis ortis ex iracundia propter Gregoria-  
num Calendarium repudiatum, & Jesuitas  
à Rigensibus malè tractatos, accedente  
etiam medici acatholici perfidiâ.

Cambacodonus in regno Bungenfi di-  
ram persecutionem in Christianos excitat.

Constantinopoli mense Junio manè ex-  
orta est nebula quædam obscura, quâ de-  
sinente locustis pluit, quæ omnes ejus an-  
ni fructus absumpserunt, eodemque an-  
no pestis grassata est in Turcia, Hungaria  
& Austria, & fames Italiam ac Belgium  
graviter pressit.

Romæ repertus est obeliscus pyro-  
pæcilus ex uno lapide 107 pedum longi-  
tudinis, olim delatus ex Thebaide, con-  
secratus primùm Soli, deinde Augusto &  
Tiberio Imperatoribus, à Totila dejectus,  
& in loco sordido Vaticani absconditus,  
jussu Sixti V. in aream S. Petri translatus  
est, & ei crux aurata imposita, de cujus  
translatione ipse Architectus Dominicus  
Fontæna Novocomensis librum edidit.

✠(1587.)✠ Obiit Rex Bungi, relictis  
in regno suo Christianis plusquam 70000,

In Polonia electus est in Regem Sigis-  
mundus Svecus, juvenis viginti annorum:  
erat autem Catholicus, & in vera fide enu-  
tritus, cujus parens Joannes privatim in  
manibus Antonii Possevini Jesuitæ Luthe-  
ri sectam ejuravit: Catholici igitur paren-  
tis filius Catholicus, factus est gloria & pro-  
pugnaculum Christianitatis.

Hoc anno Maria Regina Scotiæ coram  
judicibus, qui sententiam mortis jam for-  
mârant

mārant animo , antequam accusationem  
aut defensionem audirent, rea acta, morti  
addicitur : quā sententiā auditā versipel-  
lis Furia Elisabetha quasi renitens & invita  
multūm horroris simulans , & quasi cogi  
ad hęc juribus regni volens, subscripsit,  
Maria autem mortis sententiam accepit, ut  
quondam sub Diocletiano Martyres , tria  
tantūm postulans , primò ut Catholico ri-  
tu sepeliretur : secundò, ut moreretur co-  
ram suis domesticis, & tertidò ut ipsi postea  
cum suis reculis dimitterentur. Itaque 22  
Kalend: Martii ad supplicium se comptius  
quā ad nuptias paravit , crucemque ac  
rosarium manu tenens ad Martyrii locum  
perrexit, hīc se Catholicam mori profes-  
sa, datis ad filium Jacobum sanctissimis  
monitis , caput supposuit ferro, quod ei  
altero ictu rescissum est, & statim omnia  
supplicii instrumenta aut flammis absum-  
pta, aut aquis eluta. Sic periit in Anglia  
Maria Stuarta, non alterius criminis rea,  
quā propter fidem Catholicam, multas  
in hac vitā ærumnas perpeffa, ut æternum  
regnum consequeretur. Elisabetha fe-  
cit omnia, quæcunque potuit excogitare  
callida & vafra mulier, ut dolorem suum  
de hac morte testaretur ; nam & lugu-  
bria sumpsit, & eum, qui iudicium urse-

rat, in carcerem compegit, & pecuniâ multavit, aded mimicè, ut ipsa rideret sese, & risum vix sinu suo contineret. Excusavit se quoque apud Jacobum Mariæ filium, & coactus est miser adolescens acceptare excusationem, ne fato suo matris fatum cumlaret.

E Belgio tantùm non ejectus à confederatis Ordinibus Dudlæus, quòd rem non ad eorum voluntatem gereret, redit in Angliam, & Mauritius Nassovius renunciatur unicus Ordinum Gubernator. Parmensis autem Geldriam & Davendriam recuperat,

Franciscus Dracus Anglus in Hispaniam cum 24. navibus adnavigans Gades ex improvise adortus 30 naves omni apparatu bellico instructas in portu repertas diripit, & partem incendit ac deprimit, partem in Angliam deducit.

✽(1588.)✽ In Gallia inter familias regias seditiones maximæ vigent. Nancæi inter Lotharingæ Duces, Guisios, aliosque foederatos inita est conspiratio in Ecclesiæ commodum, sed simul in Henrici perniciem, ejusque successoris. Hoc foedus se probare simulavit Rex Henricus, sed metu majoris mali, cum videret concionatores Parisiis addictos hisce foederatis,

nis, & ad plebem incitandam comparatos esse. Aberat Lutetiâ Guisus, & ab ardentioribus Catholicis petebatur, sed eò venire prohibebatur à Rege, qui in eum iracundiam suam non satis occultabat; tandem igitur Guisus amicos suos, à quibus petebatur, prætulit Regi, & Parisios venit, atque ut ostenderet, nihil se timere, venit cum octo duntaxat comitibus, statim adiit Catharinam, quam verbis ita demulsit, ut hunc illa ad Regem deduceret: quem cum Rex iratus excepisset, eum sic affatus est, ut saltem in speciem iram suam omnem posuisse videretur. Adventu tamen Guisii animata multitudo civium, quæ nullo negotio reprimi potuit, Helvetiis & Prætorianis Francis per urbem universam scitè dispersis à civibus catenæ extensæ, doliis & curribus impeditæ viæ, ad fenestras lapides comportati, & non jam Henricus Rex agnosci, sed Guisus acclamari cœpit: cumque jam Rex timidior audivisset, pulsus regiis militibus esse scholasticis arma quoque distributa, veritus, ne obsideretur aut detineretur, pedes ipse cum paucis peditibus aulicis, dum fingit deambulationem, urbe excedit, eidem perniciem interminatus, quâ tamen mox ipse graviolem sibi accersivit. Scribit posthæc  
ad



ad omnes Provincias Henricus, iisq̄ue debitum Principi suo obsequium inculcat, sed Guisus scribit fidem Catholicam personans, & ad ejus defensionem adhortatus, cujus hostibus Rex adhæreret,

Interea, quæ hæserat Parisiis, Catharina mater Regis effecit, ut Senatus Legatos mitteret ad Regem, quos ille ita recepit, ut læta omnia sperarentur, cùmque flagraret odio apud populum Espernonius, ejusq̄ue ab aulâ recessus peteretur, prævenit ille decretum Regis, & aulâ excessit pro reconcilianda regni tranquillitate. Sixtus quoq̄ue Summus Pontifex inter hos tumultus litteras misit ad Guisum, quibus eum Machabæis pro lege Dei ze-  
lantibus adæquat. Henricus verò Rex aliunde demulcebat Cardinalem Borbonium, quem fœderati Catholici Navarræ ut larvam ostentabant. Hunc autem supra modum afflixit Henrici Condæi Principis minimè exspectata nex inter summos cruciatus demortui ex veneno, ut credebatur: ideo qui curam domûs ejus gerebat, quatuor equis discerptus est vivus. Cùm rebus suis spem nullam affulgere vidisset Henricus III. Comitiam Blesensiam indixit, ex omnium judicio pacem compositurus, in his autem Comitijis deprehendit Rex,  
Gui-

Guifios omnia posse, & Navarræum incredibilem flagrare odio, quod in se quoque redundaret: Itaque capto consilio pleno desperationis Henricus Guifium ad se evocatum per suos satellites confodi jubet, & fratrem ejus Cardinalem includi, quem postridie etiam sustulit: multos quoque Guifiorum amicos inclusit, & inter eos Meduanum, in quo mox Guifium revixisse deprehendit & agnovit infortunatus Princeps se inchoasse fabulam, sed non absolvisse. In iisdem Comitibus renunciatum est, Ducem Sabaudia occupasse Principatum Salutiarum, ejusque urbem Carmaniolum cum quadringentis tormentis bellicis & amplius, quæ hinc ad Italica bella reservabantur. Statim ergo huic bellum indici placuit, cum autem hic prætexisset, se hanc ditionem occupasse, ne veniret in hæreticorum manus, accepta est excusatio, quia id facilius erat credere, quam Principatum extorquere.

Maximilianus Austriacus victus & captus à Zamoscio in Pononiam deducitur, & inde vix agente Imperatore & Summo Pontifice dimittitur, tandem tamen libertati restituitur, & simul pax inter Polonos & Austriacos sancitur.

Classis Philippi Hispaniarum Regis toto

to

to triennio parata, & ingenti hominum, armorum, comæatum, & rerum necessariorum copiâ instructissima, & longè amplior futura conjunctione classis Parmensis in Belgio comparatæ, in mense Julio Olyssipone Angliam occupatura solvens, sævis continuè procellis jactata, sed & ab Anglica classe continuè insequente labefactata vix tandem in mense Septembri ad littus Caleti pervenit, ubi dum frustra classem Parmensem expectat (quam Hollandi in apertum mare exire prohibebant) & nocte quâdam ab immixtis in eam à Draco Anglo navigiis incensis ad flammâs evitandas rescissis rudentibus in altum se dare conatur, simul & ab Anglis & à ventis dirissimè agitata, tota ferme periit, cujus reliquæ circumnavigatâ universâ majoris Britanniaë Insulâ post longissimam navigationem cum paucissimis militibus in Hispania appulerunt.

In Hungaria Christiani mense Octobri Turcas magnâ clade afficiunt.

In Japonia Cambacdonus subactis in amplissima illa Insula plurimis regnis Christianos crudelissimè persequitur.

✽(1589.)✽ Inter Persas & Turcas decennales induciæ concluduntur.

In Gallia moritur Catharina Medicæ

Hen-

Henrici II. Francorum Regis conjux, & trium subsequentium Regum mater, ex marore potissimum ab necē Guisiorum & tumultum regni, cui sedando filium imparē judicabat, ideoque ab eo despiciēbatur.

Post Guisiorum cædem Parisiis concionatores cœperunt non dicere, sed debacchari. Nec illis sapientiores fuere Magistri Sorbonæ, qui decreverunt servandam non esse datam Henrico Regi fidem, ejus Sacramento populos exolutos esse, fas esse armari plebem contra Regem, præterea præces pro Rege fundi solitas in missæ sacrificio expunxerunt, & alias substituerunt, quæ omnia cum ad vim & cædem spectarent Parisienses seditiosi in custodiam conjecerunt Achillem Harlæum Senatûs Principem & cum eo 50. Senatores, expressum quoque tunc est ab omnibus juramentum de fide & Henotico, Meduanus quoque Henotico præfectus est ac Gubernator Urbis, tanquam populo charior constitutus, simulq; regni vicarius declaratus, qui Sigilla Regia mox mutavit, & alia cum throno vacuo substituit: Parisiensium audaciam aliæ pleræque urbes secutæ sunt. Quod cum videret Henricus & Lutetiam desperaret, hujus urbis  
Sena-

Senatum Turonas transfert, & Navarræum ad se evocat, evocatis quoque auxiliis Germaniæ & Helvitiis exercitum 35. milium peditum & quinque Equitum conficit, atque ad fanum S. Clotvaldi castra locat, obsessurus seditiosam urbem, ad quem etiam confluit pænè universa Franciæ nobilitas animo quidem triumphum adornatura, reipsâ exequias sui Regis cohonestatura. Nam Kal. Augusti Jacobus Clemens Ordinis cujusdam Monachus 24. annorum, illiteratus & rudis, fanaticis concionatorum vocibus excitatus, & fortasse etiam privatis quorundam, quasi ab Harlæo litteras afferret ad Regem admissus, venenatum ei cultrum in alvo defixit ac reliquit. Monstrum hoc statim à regiis satellitibus trucidatum, & cadaver quatuor equis est distractum, flammisque absumptum, projectis cineribus ad abolendam infamis parricidii memoriam. Vixit Rex vulneratus adhuc duos dies, datâque inimicis veniâ, piè mortuus est. Factum hujus sicarii quidam etiâ probare & laudare ausi, Clementem pro martyre coluerunt; imò & Prior ejus factum cum Judithæ facinore comparavit, qui deinde in obsidione Parisinâ captus, & aliunde tam scelerati consilii suspectus, vi-

vvs

rus quatuor equis decussatis atrocissimas  
pœnas persolvit, vel sui sceleris, vel suæ  
imprudentiæ.

Desiit in Henrico III. regnare Valesio-  
rum familia, & ex lege Salica succedente  
familiâ Borboniâ, Henricus Navarræus  
ejus familiæ Princeps, qui tunc aderat,  
confestim post Valesii obitum Rex pro-  
clamatus est, ejus nominis IV. solenni prius  
juramento præstito de Catholicæ religio-  
nis conservacione, & regni ex avitâ con-  
suetudine administratione: repugnârunt  
tamen pleræque civitates cum Carolo Du-  
ce Menio, Guisii occisi fratre, aliisque  
ejusdem familiæ Principibus, ac non pau-  
ci Proceres. Multa ided prælia inita,  
plures urbes obsessæ, captæ, direptæ, om-  
nia cædibus, ignibus, stragibus, morti-  
bus & ruinis plena, variæ natæ divisiones,  
simulationes, simultates, fraudes, tanta  
facta rerum perturbatio, quanta fuit ab  
ortu monarchiæ, quam solus demùm ille  
potuit componere, cujus occasione sum-  
ferat originem.

In Lusitania iterum Antonius Nothus  
regnum affectat, classe adjutus ab Elisabe-  
thâ Reginâ Angliæ, qui tamen ab Olyssi-  
pone repulsus est, & multis suorum amif-  
sis in Angliam redire cum Draco coactus  
est:

est: non tamen absque damnis gravibus mari inflicis, aliquot enim naves Hispanæ in Draci manus devenere. Alibi etiam, ut plus Philippo noceret, adversus eum foedus iniit cum Turcarum Imperatore.

Constantinopoli Legionarii ex Perside reversi junctis sibi Janitzaris ob non soluta stipendia, ingentem seditionem excitant, & Amurathen Imperatorem eò compellunt, ut Beglerbegum Græciæ, & regium quæstorem iis dimiserit crudeliter dissecandos: in quâ seditione ignis in vicum Judæorum injectus, flante vento, supra 12. millia ædium absumpsit: Post hæc Amurathes fessus jam bello Persico, pacem cum iis composuit.

Pax quoque composita inter Turcas & Polonos interveniente Elisabethâ Reginâ Angliæ.

Sixtus V. ad componendas turbas Francicas mittit Cardinalem Cajetanum cum viris aliquot eruditis, quos inter fuerat Bellarminus Societatis Jesu, postea Cardinalis.

✱(1599.)✱ Proceres Galliæ Romam mittunt ad Sixtum Pontificem, Luxemburgium Pinci Ducem, ut factum eorum circa electionem Henrici Navarræ excusaret cum cautione pro Catholica religione,

ne, quoniam id regni jus & publica tranquillitas exigeret. Interim foederati Catholici res suas contra Henricum Navarræ necdum verè Catholicum, quibus viribus possunt, promovent, & Meduanus quidem ad Parmensem in Belgium excurrit, atque ab eo auxilia sub Philippo Egmontio Comite accepit, & his fretus movit in Henricum, Drocas obsidentem: Henricus autem fortiter occurrit hosti, & ad Ultriacum prælium conferit, atque post diuturnum certamen victor evadit, ipse manu suâ supra humanas ferè vires pugnans. Cæsi tunc 800 equites, & ipse Egmondanus, & Brunsvicensis Nothus, Germanus & Helveticus equitatus se dedit, Gallicus omnis, armis abjectis auffugit, capta sunt omnia tormenta, omnia impedimenta, & ægrè Meduntam receptus est Meduanus, unde Santdyonifium venit, vix ausus se Parisiis ostendere. Henricus econtra hoc successu elatus, iterum Parisios obsidet, quam etiam deditioe accepisset, nisi eidem Alexander Farnesius cum suo exercitu succurrisset, ante cujus adventum habitæ sunt in urbe supplicationes, una religiosorum omnis generis & coloris, qui arma vix non ridiculè superinduerant, altera; autem infesto die ascensionis

sionis



fionis, sed illa religiosius processit, & De-  
 um precibus placare conata est. Nemo-  
 rosus Gubernator urbis nihil omisit, quo  
 cives ad omnia toleranda invitaret non  
 tantum fortiter, sed & ingeniose, unde  
 hi quotidie erumpebant cum magno  
 damno Regionum, parati vincere vel  
 pro religione mori: accedebant concio-  
 natorum exhortationes, discursationes  
 religiosorum per domos, largæ eleemo-  
 synæ, quibus divites continebant & ale-  
 bant inopes; verum fame tandem præ-  
 valente in urbe facienda fuisset deditio,  
 nisi Parmensis quasi DEUS auxilia-  
 tor adfuisset, Venit enim ille Meldas 12.  
 Kalend. Septembris, junctisque copiis,  
 captoque, inspectante ipso Rege, Latiniaco  
 urbe, ad Parisios tendit, cui pugnandi co-  
 piam Rex Henricus nequidem fecit: unde  
 Parmensis liberaturus urbem, & non pu-  
 gnaturus accessisse videbatur. Subeunte  
 igitur in urbem Farnesio cum auxiliis (cu-  
 jus ingressum Henricus vel impedire non  
 potuit, vel non voluit, ut aliqui excusant,  
 quia maluit divitem & intactam urbem,  
 quam depopulatam & egentem accipere,  
 Regius exercitus obsidione solutâ abiit in  
 hyberna, sed & Parmensis munere jam suo  
 quasi defunctus, & capto præterea Cor-  
 bolio


De-  
mo-  
quo  
on  
nde  
gno  
vel  
cio-  
nes  
no-  
ale-  
ræ-  
io,  
lia-  
12.  
is,  
aco  
co-  
de  
u-  
te  
cu-  
on  
nt,  
m,  
re,  
in  
uo  
or-  
lio

bolio, ubi magnam stragem edidit, recessit in Belgium, quò evocabatur, Ordinibus Belgii jam Philippo Hispaniæ Regi iterum insultantibus.

Sixtus V. Papa in hoc negotio ita se gessit, ut à Principibus negaret consilium ullum accipere, sed expectaret à Spiritu Sancto, multa à Parisinis facta approbando, & non pauca etiam improbando, laudans eos Principes, præsertim Philippum Hispaniæ Regem, qui in Parisinorum partes sub prætextu religionis Pontificem totum pertrahere contra Henricum nitebantur, sed alia multa iterum bono publico adversantia perpendens, quasi sibi soli hujus causæ arbitrium reservavit, nec sensum suum manifestavit, & demùm hoc ipso anno moritur, vir ingenio magnus, & animo major, & ad res magnas gerendas aptissimus & providissimus, qui in arce S. Angeli ad subitos casus ad quinquagiescentena aureorum millia seposuerat, cum tamen jam egregie exornasset urbem, & rerum omnium copiam in Pontificiam ditionem induxisset. Huic successus est Johannes Baptista Castanea, dictus Clemens VII, qui 13. die ab electione obiit, in cuius locum statim electus est Nicolaus Sfondratus, dictusq; est Gregorius XIV.

K

DE-


  
**DECAS X.**

\* (Ab anno Christi 1590. ad 1600.) \*

**A**NNO 1591. Gregorius XIV Parisinos  
 & Catholicos invitat ad resistendum  
 fortiter Navarræo, pollicitus 15. aureo-  
 rum millia quolibet mense ex Pontificio  
 ærario, negavit tamen tam Philippo, quam  
 Meduano alienationem bonorum Eccle-  
 siæ, quia hanc fieri majori Principum,  
 quam Ecclesiæ utilitate, jam compertum  
 habebat. Posthæc dubio Marte pugna-  
 tur inter Regios & Confœderatos Fran-  
 ciæ. Vicini Principes paulatim Franciam  
 discerpere instituebant, jamque partem  
 sibi quilibet suam designabat, præsertim  
 eum pars tertia jam pro regiâ coronâ sese  
 erigeret, unde oriri paulatim diffidentia  
 inter confœderatos, & magna rerum eo-  
 rum fieri inclinatio; accedebat, quod  
 Parisiis per sexdecim viros, homines im-  
 probos, & qui ex sanguine sordibusque  
 concreti erant, omnia agerentur, unde  
 etiam ab iis sibi metuens Cardinalis-Con-  
 tius Episcopus reliquit urbem, illi au-  
 tem Barnabam Brissonium munus primi  
 Præsidis obeuntem, & prudenter Decem-  
 viris

viris obsistentem, cum duobus senatoribus per servum publicum suspenderunt, facinore indignissimo & impudentissimo. Quare Meduanus Sedecimvirum audaciâ aut infaniâ revocatus, Parisios advolavit, & quatuor, eorum in Lupara comprehensis gulam frangi iussit, quo supplicio ita reliquos duodecim repressit, ut ex eo tempore, quantum bonis antea metus, tantundem nunc contemptus sui ingererent.

Evasio etiam è carcere Turonensi Ducis junioris Guisii non profuit, sed obfuit Confœderatis: in illum enim multorum animi inclinare cœperunt pro Rege eligendo: inde magna diffidentia. His tamen ita constitutis, nihilominus Gregorius Pontifex Henricum Regio nomine indignum pronunciavit, & exercitum adversus eum in Galliam misit. Henricus contra acceptis magnis è Germania & ex Anglia copiis corroboratur, & Rothomagum obsidet, verum secundo adventu Parmensis iterum ex Belgio cum copiis auxiliariis celeriter advolantis, obsidionem eadem celeritate solvit.

Alexander Farnesius Dux Parmensis ardenti Galliæ dum opitulatur, in Belgio fermè sædius & sævius grassaturo incendio fomenta & tempus concedit: eo enim negotia Franciæ curante, Confœderati

K 2

Belgæ

Belgæ artibus & armis Mauritiï multa loca Hispaniæ Regis occupant.

Gregorius XIV ex calculo inter magnos dolores patientissimè toleratos obit, & in locum ejus eligitur Joannes Antonius Fachonetus Bonnoniensis, dictus Innocentius IX qui duobus tantum mensibus Ecclesiæ præfuit, mortuus hoc eodem anno die 20 Decembris.

Magna hoc anno fames & pestilentia vexat Europam, ac potissimum Italiani.

Turcæ per horrendas excursiones in Hungariam, sed præsertim in Illyricum & Croatiam, pacem cum Rudolpho inittant turbant, quarum turbarum auctor nefandus fuit Hassanes Bassa Bosniæ, qui, quantum potuit, Hungaros vexavit, & clades intulit, & passus est, questusque de violatâ à Cæsarianis pace effecit Constantinopoli, ut bellum rupto fœdere in Rudolphum decerneretur.

\*(1592.)\* Eligitur in Summum Pontificem Hyppolitus Aldobrandinus Florentinus, dictus Clemens VIII. qui statim initio sui Pontificatûs judicavit alium Franciæ Regem, excluso Henrico Navarræo, eligendum esse, sed dubiâ utrimque tum Reginum, tum Confœderatorum fortuna hoc negotium suspensum tenuit, potuit

tuit sanè Regia fortuna videri jam succisa  
penitus & everfa, sic in extremas sæpe an-  
gustias Henricus compulsus est, sed mox  
iterum valentior sese erexit, & hostibus  
se opposuit. Pro Rege fecit plurimùm  
mors insperata Alexandri Farnesii Ducis  
Parmensis, quam obiit anno ætatis 47.  
Antverpiæ 4. Non. Decembris, dum no-  
vam jam expeditionem in Franciam para-  
ret; obiit autem pientissimè, rebus Bel-  
gii ritè ordinatis, Princeps fortissimus,  
experientissimus, & Græcis ac Romanis  
Ducibus adæquandus, & eorum plerisque  
felicior, quòd rerum à se gestarum scri-  
ptorem nactus sit Famianum Stradam, an-  
tiquis historicis nequaquam inferiorem.  
Reliquit filios duos Ranucium Parmensem  
Ducem, & Odoardum Cardinalem. Suc-  
cessit ei in Belgio Ernestus Austrius, Ru-  
dolphi Cæsaris frater; interim dum ad-  
veniret Ernestus, Mansfeldio rerum ad-  
ministrationem suscipiente, ne Ordines  
ex Parmensis morte aliquid supra vires au-  
derent.

Moritur Joannes III. Rex Sveciæ, succe-  
dit eidem filius Sigismundus jam Rex Po-  
loniæ.

Germania turbatur morte Joannis Epi-  
scopi Argentoratensis, dum eidem pro-  
testantes

testantes substituere volunt unum ex heterodoxis, reclamantibus Catholicis.

In Saxonia quoque & Palatinatu exoritur turbæ inter Calvinianos & Lutheranos, sed hîc Catholici, illic Lutherani prævalent.

Turcæ ruptis ex improvîso induciis, quas cum Imperatore aliquamdiu observârant, Croatiam invadunt, Wihitium occupant, multa hominum millia cædunt, & multa in servitutum abducunt, & omnia direptionibus & incendiis vastant, dum in Germania tardè delectus habetur.

Hispani profligant iterùm classem Anglicam in Atlantico Oceano, captis navibus 27, aliisque depressis.

✱(1593.)✱ Confoederati Catholici Galliæ acceptâ potestate à Pontifice eligendi alium Regem Catholicæ fidei, de eodem eligendo seriò cogitant, & Parisiis Comitia celebrant, sed magnâ confusione, cum & Hispani & exteri plurimi competere pro corona: quæ res dum Henrico Navarræo nunciata esset per Schombergium natione Germanum, affectu & animo Gallum, & illi oblatum regnum, si conditionem hanc subiret, & fidem Catholicam amplecteretur ac seriò profiteretur: Henricus ad suos conversus mini-  
stros

stros interrogasse fertur, utrum esset in Catholica Religione salus? & affirmantibus ipsis, ille, ut erat ingenio solers & acuto, ergo, inquit, satius est me Franciæ Regem adire cœlum. Petiit exinde de articulis controversis Catholicè edoceri, quod eruditi deinde Episcopi præstitere, quorum institutioni Rex avidissimè & studiosissimè sese impendit, aliquando per sex continuas horas, quibus auditis Parisienses alios vultus & animos induerunt, & multorum in Comitibus spes elusa est.

Igitur die Dominico 8. Kalend. Augusti Santdyonissi Henricus Navarræ hæresin publicè ejuravit, seque filium Ecclesiæ obsequentem professus, factâ peccatorum exomologesi absolutus est ab Archiepiscopo Bituricensi, ac religiosè Montis Martyrum invisit Ecclesiam, ut omnibus Parisinis ejus religio esset testatior. Pro absolute Pontificia impetranda missus erat Dux Nivernensis, cui absolutionem aliquamdiu quidem distulit Clemens, cœtantibus adversariis simulatam conversionem, luculenter tamen contestatâ Regis in fide sinceritate & constantiâ, cum gaudio postea impertivit.

Muleius Xequus Fessæ & Marochi Regis filius datus olim obses Sebastiano Lu-



fitano & postea educatus in Philippi tutela baptizatur mense Novembri in cenobio S. Laurentii Escuriali cum aliquot aliis nobilibus.

Turcæ ad Sisechium in Croatia cæde 18. millium profligantur à Cæsarianis mense Junio, qui nihilominus, reparato exercitu, Septembri Sisechium expugnant aliasque urbes, sed iterum ad Albam-Regalem cæduntur mense Novembri, & multa loca amittunt.

✠(1594.)✠ Urbibus certatim à fœderatis ad Henricum deficientibus, haud dubie omnibus quantocyus defecturis, si Henricus Rex inunctus fuerit, cum visum esset, nihil opus esse inunctione Rhemensis S. Martini sacra ampulla Turonibus allata est, & hac inauguratus est Henricus IV. Carnuti, ab Episcopo urbis Nicolao, à quo & Ordinem S. Spiritus recepit, ac pro S. Marculphi peregrinatione perrexit Sanctodoaldum, ut inde rebus suis ac Parisinis prospiceret. Egit igitur Rex cum Brissaco Lutetiæ Præfesto, ut urbe reciperetur, sed obstiterè Sedecimviri, & concionatores passim ex sacris pulpitis in Politicos (sic appellabant fautores Regis) intonabant; adhuc enim Pontifex, potenter contranitentibus Henrici adversariis,  
du-

dubius pendeat, quid de conversione  
Henrici sentiendum, ac de regno ejus sta-  
tuendum. Verum cum hi omnes edictis Se-  
natus, & Meduani Ducis auctoritate repres-  
si essent, idemque Dux auxiliorum causam  
profectus esset, Brissacus ad Regias partes  
mercatorum Præpositum, ædiles duos, tri-  
bunos aliquot & Centuriones pertraxit:  
His subnixus quatuor militum Regionum  
millia delectorum per varias portas in ur-  
bem immisit, qui eam potiti cum levi cæde  
Germanorum eandem mox patentem Re-  
gi submittere, cum palatio Luparæ: &  
Rex Henricus IV. armatus ingressus est eam-  
dem ipsam portam, quam Henricus III. ejus  
decessor Parisiis profugus exierat: Ea-  
que dies deinceps solenni processione celebra-  
tur à Parisiensibus. Cum Rex jam Luparæ  
palatium teneret, dimissi sunt per urbem  
feciales, qui amnistiam proclamarent,  
quibus respondit populus, vitam Regi  
suo accinens. Dimissi deinde ex urbe  
Hispani, Belgæ, Neapolitani milites cum  
Duce Feria, & actæ Deo in majori Basili-  
câ gratiæ: intra tres ab ingressu Regis in  
urbem horas apertis tabernis commercia  
restituta, quasi in tanta urbe nulla belli su-  
spicio viguisset. Invitatus benignè ad Lu-  
param & Regem Placentinus Cardinalis,

K 5

ho.

honestè recusavit accedere: Itaque jussu Regis à Davitio Perronio deductus est Montargium; Pellevæus verò Cardinalis, cujus maximè industriâ steterat Heneticon, audito Regis in urbem ingressu, cum in lecto jaceret ægrotus, converso ad parietem vultu, loqui & vivere desit.

Posthæc ad studia pacis omnia sunt conversa, vetita præteritorum recordatio, abolita Senatûs consulta, scripta utrimque emissa ignibus addicta: Academia quoq; contra Henricum edita, irrita esse jussit, eique parendum esse, sanctè decrevit, huic tamen decreto non statim parvère Religiosi, propter Pontificis sententiam nondum manifestatam, propterea reliquis Ordinibus omnibus omissis, tantùm tempestas in Jesuitas concitata est ab Academiæ Rectore, homine turbulento & denunciato hoste Jesuitarum: ejus, & sociorum ex omni genere calumniarum confarminatæ & maledicentiæ veneno intoxicatæ orationi modestè & facundè respondit Claudius Duretus, cui etiam Antonius Sequerius Cognitor Regius suam orationem moderationis & ingenii plenissimam pro Patribus Societatis Jesu addidit; unde inimici jurati Jesuitarum tunc tantisper quidem repressi sunt, sed eodem anno nati

OCCA-

occasionem novam maledicendi & criminandi virus suum conceptum fætidissimo ac spurcissimo mendaciorum ac calumniarum vomitu eructarunt contra innocentes. Accidit enim, ut Henricus IV. Parisiis 6. Kalend. Januarii magnum vitæ periculum adiret à Joanne Castello perdidissimo adolescente, & ad insaniam usque scelerato, cultro vulneratus in facie, qui captus confessus est, se id criminis suscepisse, ut peccatorum suorum veniam consequeretur, si tyrannum & rebellem Ecclesiæ Principem sustulisset. Is, quoniam fuerat antea Jesuitarum discipulus, quanquam alium postea magistrum audiisset, miseros Patres, qui jam tum satis apud hæreticos in hac rerum turbatione valentes omnia, malo loco, & ut spina in oculo amarulento animo abominabiles visi erant, suo parricidio involvit: Eorum igitur scripta ad apicem excussa, in quibus cum inventa essent aliquot epigrammata adversus Benehar-nensem ( sic tumultus tempore Henricus IV. dicebatur) in scrinio Joannis Guignardi Sacerdotis, patriâ Carnotensis, magnam eis perniciem creavere: maturè ergò peracto, in re tanti momenti, negotio, Castellus forcipibus candentibus conceptus, manuque cum cultro, resinâ ac sulphure

plumboque crematâ, vivus ab equis quatuor laceratus est, corpus incensum, projecti cineres, pater ejus exulare jussus; Jesuitæ omnes regno ejecti, & Guignardus, cui tam immane crimen per vitam suam in mentem non venit, publicè suspensus, & Gueretus (quæ planè hæretica furendi libido & sacrilega insania fuit) propterea tantum, quòd parricidæ aliquando confitenti aures præbuisset, immaniter tortus est, domus denique Castelli diruta, ejusque loco erecta pyramis, quæ sententiam in eum & in Patres Societatis Jesu latam contineret, cum atrocibus multis versibus, quos hæretici & Academici Catholici, sed improbi & virulenti hostes Societatis scripserunt, laxatis tunc sui furoris habenis, toti effusi ad maledicendum. Eos abeuntes multi boni viri cum lacrymis persecuti sunt, & miseros innocentes scelerati quondam discipuli sui desperationem & insaniam luere doluerunt.

In Belgio in locum Alexandri Farnesii successit Ernestus Archi-Dux Austriæ, frater Imperatoris, qui frustra Belgos cum Hispanis reconciliare conatus est, Mauritio Cröningam urbem potentem ac firmam duorum mensium obsidione expugnante, & in ea Dominationis Hispanicæ, ac simul  
 reli-

religionis Catholicæ monumenta dejiciente. Alter frater Imperatoris Mathias Archi-Dux in Hungaria contra Turcas pugnat, & Neogradum occupat, sed Jaurinum amittit, turpi Comitis Hardechii deditione, qui eâ de causâ ab Imperatore capite cæsus est. Sigismundus verò Batorius Transylvaniæ Princeps, detectâ in se conspiratione à Turcis deficiens, in societatem Imperatoris transit.

Sigismundus Poloniæ Rex anno superiori ad accipiendum Sveciæ regnum hæreditarium evocatus, hoc anno (cæsis prius 30. Tartarorum millibus, qui per Poloniæ fines in Hungariam perumpere, & cum ducentis equitum millibus, Turcis se conjungere adnitebantur) Upsaliam proficiscitur, & Rex ibi Sveciæ coronatur, sed frustra ad fidem Catholicam regnum revocare conatus est. relicto igitur Pro Rege Carolo Sudermanniæ Principe, rediit in Poloniam.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus Legatum Romanum pro communionem Sedis Apostolicæ, & obedientiâ illi præstandâ mittit.

In Italia classis Turcica Rhegium Calabria diripit, sed à triremibus Pontificiis & Hispanicis repellitur.

✠(1595.)✠ Hispanos inter & Gallos

K 7

bellum

bellum magno utrimque ardore suscipitur & geritur.

Henricus IV. Rex Galliarum solenniter a Clemente VIII. Pontifice ab hæresi absolutus, magno gaudio totius urbis Romæ: egregiam hoc in negotio operam navavit Gallis Franciscus Toletus, primus è Societate JESU. Cardinalis, qui popularium suorum conatus suo ingenio & eloquentiâ discussit, quare in eum deinceps optimè, & in Societatem JESU melius affici cœpit Henricus, & nunquam postea immemor extitit beneficiorum, quod viri magnanimi solent. Factâ absolute Pontificiâ omnes ferè contra eum confœderati eidem se submiserunt.

Amurathes III. Imperator Turcarum moritur Constantinopoli, ei que succedit filius Mahometes III. qui ab octodecim fratrum, & viginti septem sororum nece Imperium suum auspicatus est.

Obit Ernestus Archi-Dux Austriæ, Gubernator Belgii.

S. Philippus Neri Congregationis Oratorii Fundator in cœlum migrat.

In Transylvania Sigismundus Battorius adscitis in societatem belli Walachia & Moldavia Principibus contra Turcas feliciter pugnat.

Anto.

Antonius inane nomen Regis Lusitaniae gerens, Parisiis omnium rerum inops finem vivendi facit.

Romam veniunt ad obsequium fidei Legati Episcoporum Ruthenorum, item Legati Aegyptiorum ad Christianam religionem converforum, qui etiam fide professionem coram Clemente VIII. emittunt. Item & Archi-Episcopus Livoniae, qui simul Lutheri haeresin ibidem abjurat.

✠(1596.)✠ Sigismundus Battorius Transylvanicae Princeps Pragam ad Caesarem Rudolphum venit, cui Caesar amplissima auxilia contra Turcas promittit, & Pontificius Legatus in singulos menses 40. millia aureorum pollicetur.

Mahometes III. Turcarum Imperator Hungariam aggreditur, & Agriam capit, Albertus Cardinalis Austriacus frater Rudolphi Imperatoris à Philippo II. Rege Hispaniarum avunculo, ad Belgii gubernationem adhibetur.

Moritur Cardinalis Franciscus Toletus de Ecclesia Catholica optimè meritus.

Classis Anglica ab Hispanis versus Americam profligatur, & Dracus ejus Ductor, hujus saeculi pirata famosissimus ex dysenteria moritur.

Classis



Classis Anglica Hispanicam ad navigationem novi orbis paratam ad Gades incendit, ipsasque Gades capit & diripit.

\*(1597.)\* Mauritius Belgicorum Ordinum Ductor Alberti Aultrii copias ad Tonnahutum profligat.

Carolus Sveciæ Gubernator Lutheranus legitimum Regem ac hæredem Sigismundum è regno excludit, sibi que illud usurpat. Sicque Svecia Catholicam fidem cum Rege Catholico ejuravit.

Mortuo Alphonso Ferrariæ Duce sine liberis, Clemens Pontifex Ferrariam præ-tendit.

In Japonia tres è Societate Jesu, & alii ex S. Francisci Ordine Religiosi martyrio afficiuntur.

Hoc anno Ferdinandus Tellius Portocarrerus Dulendii Præfectus, admonitus à Dumolino exule, interdium servari negligentius Ambianum, id magnâ audaciâ & pænè temeritate occupavit. Usus est carris, quos pomis & nucibus oneravit, & hos fortissimi milites aurigarum loco deducebant, eorum unum supponunt pensili clathro, loris equorum rescissis, alterius effundunt nuces & poma, quæ dum colligunt præsidiarii, trucidati sunt ab aurigis probè armatis, & portam patentem sequenti-

quentibus copiis reliquerunt. Sic capta est ab Hispanis urbs nobilis, in cuius suburbio Helvetii plurimi, & quæ supra 14. armatorum civium millia continebat, per tria equitum peditumque millia: vix octuaginta cives repugnantes cæsi sunt, & sex tantum Hispani. Res tantâ inertia, tantoque metu peracta est, ut fidem superet. Perturbatus est hoc casu Rex Henricus cum totâ Lutetiâ, quæ hostem jam adesse putabat ad portas. Debuit postmodum urbs hæc magno labore à Francis recuperari, & reddita est, cum Hispanica auxilia intromitti non possent, aditu sæpius frustra tentato ab Hieronymo Caraffa Marchione Montis nigri, qui Portocarrero Præfectus equitum successerat, & Hispani gloriosè iterum emissi, qui antè fraudulenter intraverant, urbi que præpositus est Dominus Vicus, arx ædificata, ut eâ tuti essent cives, qui sua privilegia causati, ab Helvetiis Regiis defendi noluerant per superbiam, & à suis per ignaviam propugnari non potuissent.

✽(1598.)✽ Clemens VIII. Pontifex Ferrariæ Principatum Pontificiis ditionibus adjungit.

Philippus II. Rex Hispaniæ impetratâ à Pontifice dispensatione consanguinitatis

& or.

& Ordinis Cardinali Alberto Austriaco Isabellam primogenitam cum dote Provinciarum Belgii desponsat, & Vervini adnitente Alexandro Cardinali Legato Pontificis in Galliâ pacem cum Henrico IV. Galliæ Rege sancit, ac demùm post diutissimos dolores patientissimè toleratos in monasterio Escuriali anno ætatis suæ 72. pientissimè moritur. Magnus sanè Princeps, & in paucis prudentiâ & pietate clarissimus. In hoc Monarcha potuit omnis mundi fastus detumescere, quando videre fuit erumpentes ex ejus adhuc viventis corpore vermes & pediculos tantâ copiâ, ut per duos famulos sibi per vices succedentes abstergi vix possent. Successorem reliquit filium suum Philippum III. & Eugeniæ Claræ Austriæ nuptiis jungendæ reliquit Belgium.

Sigismundus Rex Poloniæ in Sveciam navigans, vix effugit Caroli patris sui insidias, & calliditate illius regno suo hereditario exauctoratus, damno suo expertus est, quam periculosè hæreticis, quamvis sanguine proximis, regnorum administratio concedatur.

Hoc anno in Hungaria Javarinum, sive Raba vocatum, munitissimum fortalitium recuperatur mense Martio virtute Adolphi Schwar-

Schwarzenbergii, fractâ portâ per tubum  
catapultorium, dubiâ tamen diu victoriâ  
quingentis Cæsarianis interfectis, mille  
sexcentis Mahumetanis jugulatis, intra  
urbem certamine quatuor horarum. Mox  
à Schwarzenbergio Cæsarianorum Duce  
obsessa Buda, & pars ejus inferior capta,  
sed obsidionem solvere propugnatorum  
virtus, anniq̄ue tempestas sævior com-  
pulerunt.

Sigismundus Battorius Transylvaniæ  
Princeps post plurima contra Turcas &  
hæreticos præclare gesta, nescitur quo  
morbo veluti fascinatus, mutato vitæ insti-  
tuto, mense Aprili, uxorem Christiernam  
Caroli Archi-Ducis filiam relinquit, & di-  
tionem de consensu Ordinum Rudolpho  
Imperatori cedit, acceptâ Silesiâ cum an-  
nuâ pensione 50. millium aureorum. Sed  
paulò post pœnitentiâ ductus Claudiopo-  
lim redit.

\*(1599.)\* Constantinopoli agitur à  
Turcis de adimendo Christianis sepulchro  
Christi Domini, & donariis, quæ ibi libe-  
ralitate Principum Christianorum haben-  
tur, auferendis; sed hoc consilium aucto-  
ritate suâ & rationibus discutiunt Legati  
Venetorum & Regis Galliarum.

Sigismundus Battorius rescisso contractu  
cum

cum Rudolpho Imperatore Principatum Transylvaniæ transfert in Cardinalem Andream Battorium, Patrualem suum: sed hic statim à Michaële Walachiæ Waiwoda appetitus profligatur, in fugâ à rusticis interimitur, & Transylvania in fide Imperatoris confirmatur.

Albertus & Isabella Principes Belgii ex Hispaniâ veniunt in Belgium, exeunte Augusto, ducto etiam Philippo Nassovio Aurantio Principe, cui bona paterna restituta sunt,

Carolus Sigismundi patruus universam ferè Sveciam in potestatem suam redigit, & habitis Regni Comitibus procurat Sigismundo regnum abrogari, electo tamen specie tenus Ladislao ejus filio adhuc puerulo, eâ conditione, ut mitteretur in Sveciam in Lutheranismum instituendus. Et inde Carolus Finnonios à Sigismundo stantes subigit.

Celebratur mense Junio in civitate Diamper Indiæ Orientalis ab Alexio Archiepiscopo Goënsi, Ordinis S. Augustini, Concilium de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur, ubi Georgius eorundem Nestorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylo- nis adhærebat, & 153. Presbyteri, atque depu-

deputati 671. fidem Catholicam sunt professi, quos uniuersus populus secutus est.

Romæ hoc anno creati sunt 12. Cardinales, inter quos numeratus est Robertus Bellarminus è Societate Jesu, vir doctrinæ incomparabilis, à quo editum opus in hæreticos à viris sapientissimis *Ecclesie Armentarium* & *Turris David* appellatum, eò dignior sacrâ purpurâ, quò majore curâ & solitudine eam subterfugit.

Tentata pax inter Turcam & Cæsarem coalescere non potuit: disjecto itaque consilio pacis Turcæ ac Tartari Christianorum terras diripuerunt, ac innumerabilem captivorum multitudinem abduxerunt cum pecoribus & armentis, Christiano exercitu cum segni Duce suo tantas clades in castris suis fermè otiosè spectante.

Batavi navigationem suscipiunt in novum Orbem, quæ Hispanis non potuit, non summoperè displicere, sed classis illa ex octuaginta navibus infelix fuit, excursionem enim factâ ad Canariam Insulam, & vicinas adjacentes, in eas flammâ ferroque sævièrunt. In reditu autem classis magnâ ex parte tempestate periit, milites & navicularii morbis absumpti, aliquo tempore ne quid auderent ejusmodi popularibus suis injecere desperationem.

Actum

Actum est hoc anno de matrimonio Henrici IV. cum Margaritha Valefia, quod pleriq; volebant esse irritum, & re accuratè discussâ pronunciatum est, has nuptias nullas esse, Regiq; concessum, aliam uxorem ducere. Ferebatur tunc, eum propendere in Gabrielem Estræam, ex quâ jam duos filios susceperat; verùm hoc matrimonium Deus avertit, mortuâ Estræâ ex violentissimis apoplexiæ paroxisimis, vultu in tergum detorto, tantâ deformitate, ut hæc dæmoni, quàm mulieri similior esse videretur. Rex certè auditâ ejus morte tam miserabili & deformi, ad se & Deum rediit, eumque casûs hujus, & mortis auctorem in Franciæ commodum agnovit & veneratus est.

✽(1600.)✽ Celebratur hoc anno maximo concursu Jubilæum Romæ, ad quod 1300. millia hominû scribuntur confluisse, quâ occasione Clemens VIII. multa pietatis & liberalitatis exhibuit argumenta, peregrinos pecuniis adjuvando, iisdem accumbentibus ministrando, pedes lavando, confessiones audiendo, omnes consolando, & ad eadem pietatis exercitia & opera charitatis Cardinales quoq; & alios Prælatos verbo & exemplo invitando: quibus visis multi ex hæreticis, qui curiositatis

fitatis causâ advenerant, ejuratâ hæresi,  
fidem Catholicam amplexi sunt.

In Gallia apud Fontenobleum habita  
est celebris inter Jacobum Perronium,  
tunc Episcopum Fbroicensem, & postea  
Cardinalem & Archi-Episcopum Senno-  
nensem, & Philippum Mornæum, Plessi-  
um Marlium Calvinistas, concertatio de  
falsis assertationibus circa Eucharistiam;  
cùm enim Perronius conquestus esset de  
libro à Mornæo edito, in quo plusquam  
500. corrupta S. Scripturæ loca vel san-  
ctorum Patrum reperisset, Plessius provo-  
cavit ad publicum certamen coram Rege  
ineundum: Assignati sunt igitur à Rege  
tres iudices Catholici, & tres Calviniani,  
qui de calumnia vel veritate statuerent;  
dictâ ergò die convenère actores coram  
Rege, Cancellario, atque iudicibus, ex-  
cussisque locis novem, sex horis continuis  
pronunciatum est omnium iudicio, omnia  
corrupta & truncata esse, ac certamen in  
diem sequentem rejectum est, sed noctu  
illâ ægrotavit Plessius, & Parisios deferri  
permisus, insalutato Rege Salmurium  
profugit: unus ex tribus heterodoxis ju-  
dicibus hæresim ejuravit, & Rex in fide  
confirmatus, ejus deinceps laudator ac ze-  
lator fuit, hæretici autem hanc collatio-  
nem magno emptam voluissent.

Idem



Idem Rex Christianissimus, cum jam anno superiore Clemens matrimonium, quod inter Regem & Margaritam Valesiam sub Carolo IX. initum erat, nullum esse declarasset, tum propter consanguinitatem, tum alias ob causas, ideo uxorem nunc accipit aliam Mariam Medicæam, Francisci olim magni Etruriæ Ducis filiam, quæ mense Novembri Massiliam appellens, regio comitatu Lugdunum ad Henricum deducitur, ibique anno exeunte nuptiæ conficiuntur, solennia celebrante Legato Aldrovantino.

Jacobum Regem Scotiæ Comites Gaurienses insidiosè in arcem suam specie thesaurum indicandi deductum, & ad interiora conclavia solum & inermem allectum interficere moluntur, sed Rex haud tanto periculo despondens animum & voce & manu viri avertens, accurrentibus ad tumultum è suis aliquibus à morte liberatus est, & eadem proditoribus iniusta, in quorum cadavera ita sævitum est, ut detestandi parricidii gravitas omnibus innotesceret.

In Belgio dum pars militum Hispanorum secessionem ob non soluta stipendia faciunt, Mauritius nonnulla loca munita Archiduci eripit, & dum Neoportum in

moli

Flandria obsidet, invasus ab Archi-Duce post aliquam cladem acceptam suos recolligens Archi-Ducis exercitum 2. Julii profigat cæsis multis millibus hostium, sed iterum novis exurgentibus in eum copiis, suos in Holandiam & Brabantiam reducit.

In Hungaria Turcæ Canissium mense Septembri obsidione cingunt cum ducentis millibus armatorum, ac licet in auxilium venisset Philippus, Emmanuel Dux Mercurianus à Domo Lotharingica ( qui post extincta in Galliâ bella civilia ad Imperatorem profectus, exercitûs ejus administrationem susceperat ) tamen, quòd comteatu destitueretur, post crebras velitationes cum Turcis factas, & aditum in urbem frustra multoties tentatum vigesimâ Octobris, quæ erat quadragesima quinta obsidionis dies, cum ingenti damno Christianitatis deditione Turcis traditur. Quo tempore Sigismundus Battorius rursus Transylvaniæ Principatum resumpsit, sed à Michaële Waiwoda Walachiæ, qui tunc Cæsaris partes sequebatur, magnâ clade afficitur, ac paulò post idem Michaël, quòd eam Provinciam sibi ac filio firmare cuperet, & propterea clandestina cum Turcis & Tartaris consilia iniret, revocatur ab Imperatore, & in locum ejus mit-

L

titur

titur Georgius Basta, qui Transylvaniam in fide Imperatoris retinuit, & demùm Sigismundus, interveniente Clemente Pontifice, receptus in gratiam ab Imperatore, Pragam se recipiens, ibi tandem mortuus est.

DE PSEUDO-PROPHETA  
PERUANO.

**N**Arrat Josephus à Costa Societatis Jesu Theologus *Lib. 2. de novissimis cap. 11.* inventum esse circa hunc annum insignem quendam Theologiæ Professore[m] illic pro miraculo habitum, qui cùm fœminæ cujusdam diabolicâ extasi mundo illudentis familiaritati sese addixisset, eamq[ue] de profundissimis Theologiæ quæstionibus consulisset, ab eâ usq[ue] adeò dementatus fuit, ut in mentem sibi induceret, se miracula patrare, quam ob causam & ob erroneas propositiones ab eo enunciatas, homines inquisitionis judices comprehensum, & per quinquennium auditum atq[ue] examinatum, extremæ tandem atq[ue] insolentissimæ superbiæ convicerant.

1. Dicebat, datum sibi esse à Deo Angelum, à quo, quidquid vellet, addisceret.
2. Se singulari Dei familiaritate gaudere, & cum illo immediatè colloqui.
3. Futurum se Regem ac Summum Pontificem

sem, translata in eas regiones Sede Apostolica  
 4. Se obtinuisse sanctitatem, Angelorum, &  
 Apostolorum sanctitate superiorem.

5. Oblatam sibi fuisse à Deo unionem hypo-  
 staticam, se verò illam recusasse.

6. Se mundi Redemptorem constitutum esse  
 secundum efficaciam, cum Christus Iesus tan-  
 tum sit secundum sufficientiam

7. Universum statum Ecclesiasticum abro-  
 gatam iri cum omnibus legibus, se verò alias le-  
 ges faciles & claras conaturum, quibus Cleri-  
 corum cœlibatus tollendus esset, uxerum multi-  
 tudo concedenda & consuetudinis necessitas exclu-  
 denda.

Denique considerata ejus vivendi ratione,  
 observatisque plus centum ac decem propositioni-  
 bus erroneis, ad disputationem vocatus est ab  
 ipsomet Josepho Acosta, qui mirari satis non  
 poterat hominis libertatem & eloquentiam. Pro-  
 fitebatur miser, non posse doctrinam suam, nisi  
 Scripturâ & miraculis, demonstrari, utpote om-  
 ni ratione humanâ superiorem; illam se apertius  
 & efficacius comprobasse, quàm S. Paulus Je-  
 sum Christum esse verum Messiam comprobasset:  
 se edidisse miracula non pauca, eaque tanta, ut  
 Jesu Christi resurrectionem adaequant: se  
 quoque mortuum esse, ac redivivum factum,  
 paratum se esse, aiebat, ad patrandum miracu-  
 la, si vellent, qui aderant. Ad extremum,

cum Josephus Acosta per biduum disputando nihil cum pervicaci homine efficeret, adjudicatus est igni, & dum ad supplicium educeretur, caelum semper intuebatur, expectans desuper ignem in inquisitores ac ceteros omnes, prout ei demon promiserat, descensurum; verum illis intactisq; omnibus assistentibus, solus ille, qui Regem, qui Pontificem, qui Redemptorem, qui Legislatorem se dicebat, solus, inquam, in ignem conjicitur; & in cineres redigitur.

